d *Lincoln.*) Lincolnienſem videlicet, de qua Eccleſia nonnulla notavi *in c. 8. de reſcr.*

e *Commiſerunt.*) Quia cum eſſent delegati Principis, aliis vices ſuas ſubdelegare poterant, *c. ſi pro debilit. 3. de offic. del.*

f *Sigillum Capituli.*) Quod proprium habent ſingula collegia, ut dicemus *in c. dilectus, de exceſſ. Prel.*

g *Nulla fiebat mentio.* Unde nullæ erant, juxta adducta *in c. 27. de reſcr.*

h *Appellationis emiſit.*) Et recte; nam jure Canonico attento a ſententia interlocutoria, per quam rejicitur exceptio, licite admittitur appellatio, ut probavi ſupra *in c. ſuper eo 12.*

i *Poſt appellationem.*) Juxta adducta ſupra *in c. 1.*

COMMENTARIUM.

3 DEfuncto rectore, ſeu Magiſtro Hoſpitalis Divi Leonardi, Eboracen. Archiepiſcopus quendam presbyterum eidem Xenodochio præfecit, invito Decano, & univerſis Canonicis ipſius Eccleſiæ, qui contendebant jus eligendi ſimilem Rectorem ſibi, non vero Archiepiſcopo competere: cujus litis cauſa judices delegatos ab Innocentio impetrarunt, & actorem, ſeu procuratorem ad comparendum coram eis conſtituerunt ſub ſigillo, ſub quo ſolebat Capitulum ad ſe vocare ſubditos ſuos. Sed coram ipſis judicibus Rector ipſius Hoſpitalis propoſuit, ſigillum hoc non fuiſſe ſufficiens ad conſtituendum actorem, & reſcriptum delegationis cum obreptione fuiſſe impetratum, nulla videlicet mentione facta prioris reſcripti; in quo alii judices dabantur; & tandem ne ipſi judices in cauſa procederent, Rector ab ipſis appellavit. Conſultus Innocentius III. in præſenti decrevit rite, & juſte provocatum fuiſſe, atque ita quicquid ab eiſdem judicibus poſt appellationem attentatum fuit, irritum, & inane eſſe, juxta ea, quæ adduximus *in cap. 1. hoc tit.* ex quo commentario præſens petendum eſt, & ex eis, quæ dabimus *in c. ut debitus, infra.*

CAPUT XLIX.

Idem *Magiſtro G. Archidiacono de Vvilto, Normando: & G. de Grethes Canonicis a Sueſſionenſibus.*

SIgnificantibus T. & R. fratribus noſtro fuit Apoſtolatui declaratum, quod cum inter ipſos ex una parte, & Vv. Turpin. de Atochi, & ſorores ejus, diœceſis Sueſſion. ex altera, ſuper quibuſdam vineis, terris arabilibus, & pratis, coram dilecto filio Abbate, & Priore ſancti Bartholomæi Novien. judicibus a Sede Apoſt. delegatis quæſtio verteretur, ipſi T. & R. cum plures terras haberent, ut terra illa, ſuper qua quæſtio vertebatur, eis oſtenderetur a judicibus poſtularunt; quod cum ipſi facere denegarent, nec utrum hoc deberet eis concedi, vellent per ſententiam definire; iidem fratres a manifeſto gravamine ad noſtram audientiam provocarunt. Quocirca diſc. v. per A. ſ. m. quat. ſi verum eſt quod aſſeritur, vos revocato in ſtatum debitum, ſi quid poſt ap. ad nos legitime interpoſitam noveritis *b* attentatum, audiatis cauſam, & ap. rem. fine debito terminetis.

NOTÆ.

a SUſſion.) ita etiam habetur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap. 7.* quam inſcriptionem expoſui *in capit. 2. de libelli oblat.* ubi idem textus refertur.

b *Attentatum.*) Juxta congeſta *in c. 1. hoc tit.* ubi textum hunc expoſui.

CAPUT L.

Idem a *Abricen. Epiſcopo, & de* b *Luc. & de Monte Morell. Abbatibus, Abricen. Diœc.*

EX inſinuatione dil. fil. Prioris, & Canonicorum ſanctæ Barbaræ nobis innotuiſſe noſcatis, quod cum inter ipſos ex una parte, & Vv. Camerarium de Tankarvill Rhotomag. diœc. ex altera, ſuper *c* manerio de Monuill coram judice ordinario, ex delegatione noſtra quæſtio verteretur, & idem Camerar. ad noſtram audientiam appellaverit ab eodem, ſuæ appellationi terminum aliquem non præfigens; idem Ordinarius, qui cauſam ejuſdem Camerarii fovere videbatur, latenter, eo quod quidam clericus commenſalis ſuus jamdicti Camerarii in eadem cauſa fuerat *d* advocatus, deceptorie, & contra conſuetudinem hunc terminum appellationi *e* præfixit, ut ad feſtum Purificationis ſanctæ Mariæ utraque pars eſſet ab appellationis proſecutione reverſa: licet nobis non potuerit legem imponere, ut eum teneremur infra dictum terminum expedire, cum ſecundum legitimas *f* ſanctiones lis, quæ in Conſiſtorium Principis ſperatur inferri, abſque damno moræ intacta permaneat, donec ipſe faciat introduci, & a Proceribus dirimi juxta morem. Interim autem nuntius Camerarii ſupradicti præveniens nuntium eorumdem, nec ipſo uſque ad legitimum terminum expectato, impetravit litteras, & receſſit. Quia vero fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, d. v. per A. ſ. m. quat. ſi ita eſt, partibus convocatis, auditis hinc inde propoſitis, cauſam ſuper his ap. rem. mediante juſtitia terminetis.

1 NOTÆ.

a ABricen.) Abrinca civitas, vulgo *Avranches*, eſt in Provincia Rhotomagenſi, juxta Britonum fines eam ponit Armoricus *l. 8.* ibi:

—— Abrincos
Finis Abritonum, quos limitat unda Coethni.

Abrincatum dicitur in notitia Imperii: Arboricum nuncupa-
2 tur a Gregorio Turon. *lib. 11. mirac. cap. 36.* Paret Metropoli, & Parlamento Rhotomag. Ejus Epiſcopo Guillelmo Foulon, ſeu Foloneo, reſcribit Innocentius in præſenti.

b *De Luc.*) In tertia collectione legitur *de Bajoc*, in hac vero ſexta legitur *de Luc.* quæ littera retinenda eſt, ſiquidem Monaſteria Lucernæ, & Monſmorelli, ſunt in eadem diœceſi Abricenſi. Lucerna eſt Ordinis Præmonſtratenſis, fundatum anno 1143. cujus Abbati Radulpho in præſenti reſcribit Pontifex. De eo Monaſterio agunt Fratres Sammarth. *t. 4. Gall. Chriſt. fol. 580.* Monſmorellus eſt etiam monaſterium Canonicorum Regularium in eadem diœceſi Abricenſi, ut referunt Pennotus *l. 2. hiſt. canon. regul. c. 33. n. 4.* Fratres
3 Sammarth. *t. 4. Gall. Chriſt. fol. 667.* Itaque reſtituenda eſt inſcriptio hujus textus in hunc modum: „ Innocent. III. „ Abricenſi Epiſcopo, & de Luc. & de Montemorelli Abbati.

c *Manerio.*) Manerium, ſeu maneria ſignificat habitationem cum corte, & agri portione, ut apud Innocentium noſtrum *l. 3. epiſt. 5.* ibi, „ Civitates, villas, caſtra, & „ maneria, quæ ad dotalitium præfatæ Reginæ ſpectare no- „ ſcuntur. *Roger. Hoveden. annal. tom. 1.* ibi: Et per eaſdem „ diviſas, quibus ipſe, ſive ante eum Toſtius, vel Siu- „ vardus ipſum manerium tenuerunt. *Matthæus Pariſ. anno* „ *1261.* ibi: De Civitate, vel Caſtello, vel Burgo, vel Do- „ minico manerio Regis. *Thomas Vvalſingus* in Eduardo III. „ pag. 192. Admoniti de tanta commonitione, relicto pran- „ dio fugerunt ad manerium, ubi tunc filius Regis caſua- „ liter morabatur. " Notarunt Palud. Idumay *ad Innocen. dicta ep. 5.* Gerard. Voſſius *l. 3. de vitiis ſermon. cap. 23.* 4

d *Fuerat advocatus.*) Quæ juſta cauſa recuſationis judicis eſt, ut probavi *in c. 1. de offic. judic.*

e *Præfixit.*) Licet enim judex a quo appellationi introducendæ breviorem terminum appellationi præſcribere poſſit, ut probavi ſupra *in cap. 4. & 5.* tamen ut ibi notavi, appellationi finiendæ terminus præfigere non valet, cum ut citius, tardiuſque cauſa peragatur, non ad ipſum, ſed ad ſuperiorem pertineat, ut docent congeſti a Barboſa in præſenti, Oſualdus *l. 28.* Donell. *c. 7. lit. R.* Unde in præſenti ſpecie judicem inferiorem terminum præfinientem proſequendæ appellationi, contra jus, & morem feciſſe docet Innocentius, & notavit Jacobus Cujacius in præſenti.

f *Sanctiones.*) *Novel. 23. Juſtin.* ex qua deprompſit Irnerius authenticam *Sedet lis, Cod. de tempore appel.*

CAPUT

CAPUT LI.

Idem a *Roſſen. & London. Epiſcopo.*

BOn. mem. O. de Camera, perſona Eccleſiæ de *b* Faveſham, viam univerſæ carnis ingreſſo, dil. fil. Abbas Sancti *c* Auguſtini cuſtodiam ejuſdem Eccleſiæ, quam ad ſe aſſerit pertinere, primo per quoſdam monachos, ſecundo per ſeipſum poſſeſſione ingreſſus, ad nos pluries vocem appellationis emiſit, ne quis eum ſuper poſſeſſione ipſius Eccleſiæ præſumeret indebite moleſtare. Cumque aliquandiu prædictam Eccleſiam pacifice poſſediſſet, quidam laici Cantuar. Diœc. in ipſum Abbatem & monachos infra eandem Eccleſiam uſque ad effuſionem ſanguinis manibus *d* injectis temere violentis, eos de poſſeſſione ipſius per *e* violentiam ejecerunt. *Et infra*: His igitur, & aliis pluribus ex parte Abbatis, & monachorum propoſitis, procurator Archidiaconi memorati propoſuit ex adverſo, quod nec poſſeſſionis, nec dominii ratione Abbas, & monachi hanc reſtitutionem poterant poſtulare: cumque non poſſederint Eccleſiam antedictam ratione juris *f* cuſtodiæ, quæ defuncta perſona Eccleſiæ tantum datur, imo *g* Archid. Cantuar. qui fuerunt pro tempore, tam de jure communi, quam de generali conſuetudine Cantuar. provinciæ, tam in illa Eccleſia, quam in aliis univerſis ejuſdem Diœceſis hoc jure fuerant ſemper uſi, ſicut fuerat ſufficienter probatum; talis reſtitutio nequaquam monachis competebat, nec utendo jure ſuo eis injuriam facere videbatur. Præterea cum præfatus O. de Camera nomine Archid. poſſideret, utpote qui unam ei procurationem, & quinque ſolidos nomine ipſius Eccleſiæ annis ſingulis exſolvebat, eodem O. ſublato de medio, apud Archid. poſſeſſio animi dignoſcitur *h* remanſiſſe, quæ non perditur, niſi Archid. ſe putaret repelli, vel niſi veniens non fuiſſet *i* admiſſus. Sic ergo monachorum poſſeſſio potius detentio clandeſtina deberet dici, quam Archidiaconi, qui ipſam poſſeſſionem non perdidit, & ſic eam monachi non potuerunt habere, cum duo *j* in ſolidum quicquam poſſidere non poſſint. Cum igitur Archidiaconus potuerit jure ſuo poſſeſſionem intrare, ac tenentes de facto ejicere, fortius potuit nullo inibi exiſtente, nec ullatenus reſiſtente, ſibi jus proprium reſervare, cum juris executio nullam habere injuriam dignoſcatur. Ad hæc monachi poſſeſſionem Archid. non poſſunt aliquatenus avocare, etſi eos ipſam habuiſſe conſtaret; quia cum eos de poſſeſſione nequaquam ejecerit, nec hoc probatum fuerit, nec in jure confeſſum, non habetur quid objiciant extraneo detentori, præſertim cum & ipſi ſua auctoritate poſſeſſionem intraverint, & injuriam aliis facientes, jus aliquod acquirere nequiverint. Appellatio quoque, quam monachi ſe interpoſuiſſe proponunt, penitus nulla fuit, cum non niſi a gravamine præſenti, præterito, vel futuro debeat appellari: Archidiaconus vero nec prius eos gravaverat, nec ipſos poſt appel. gravavit, cum rem vacuam, cujus cuſtodiendæ jus habet, imo quam ex officio cuſtodire tenetur, cuſtodiendam ſuſcepiſſe noſcatur. Denique appellationi monachorum non fuit ullatenus deferendum, quoniam etſi ad eos eadem Eccleſia pertineret, non debuerunt auctoritate propria ipſius poſſeſſionem intrare, præſertim cum ſciverint, vel ſcire potius debuerint, quod cuſtodia Eccleſiarum vacantium ad Archid. pertinebat; & ſi tunc idem Archid. præſens eſſet, eam denegaſſet eidem, & ſibi, prout ad ejus ſpectabat officium retinuiſſet. Cum autem clandeſtina fuiſſet eorum poſſeſſio, non potuerunt vere poſſeſſores haberi, cum ſuper poſſeſſione nequeat injuria fieri clandeſtino poſſeſſori. Cum igitur hæc, & alia multa utrimque propoſita fuerint coram nobis, viſis inſtrumentis, & atteſtationibus partium, & allegationibus diligentius intellectis, de communi f. n. conſilio Abbatem, & monachos in eundem ſtatum, in quo tempore appellationis ex veriſimilibus, & probabilibus cauſis ad nos legitime interpoſitæ fuiſſe noſcuntur, proprietatis utriuslibet ſalvo jure decrevimus *k* reducendos, ac fructus *l* medii temporis cenſemus pariter aſſignandos eiſdem. Quocirca diſc. v. per A. ſ. m. quat. ſub. cujuſcumque contrad. & ap. ob. in eum ſtatum, in quo tempore appellationis fuiſſe noſcuntur, præfatos Abbatem, & monachos reducatis, & faciatis eiſdem pariter reſignari fructus medii temporis univerſos: contradictores, ſi qui apparuerint, vel rebelles, mon. p. per cenſ. eccl. ap. poſtpoſita compeſcentes.

NOTÆ.

1 a ROſſen. & London.) Ita legitur in 3. collect. *ſub hoc tit. c. 9.* De Roffenſi Eccleſia egi *in c. 22. de offic. deleg.* De Londonenſi, ſeu Londinenſi *in c. 6. de conſuet.*

2 b *Faveſham.*) Eſt vicus Angliæ prope Cancium, quem Angli Faveſhamum vocant. Polyd. Virgil. *l. 12. hiſt. Angliæ, fol. 206.*

c *S. Auguſtini.*) Sanctus enim Auguſtinus Angliæ Apoſtolus quatuor monaſteria conſtruxit, Cantuariæ, Londini, Æliæ, Cernellæ, ex quibus clarius erat monaſterium Cantuarienſe, ut refert Richardus Smitheus *l. 1. in floribus Angliæ, c. 4.*

d *Manibus injectis.*) Hujus delicti immanitatem, & cenſuram, quæ ex ſimili manuum injectione oritur, retuli & expoſui *in c. ſacris, de his quæ vi.*

e *Per violentiam ejecerunt.*) Ut in ſpecie textus *in c. 2. de ordin. cognit.* ubi actiones, quæ ex facto oriuntur, recenſui.

3 f *Juris cuſtodiæ.*) Hoc jus cuſtodiæ vacantis Eccleſiæ in Cathedralibus competere Principi, ſeu Metropolitano, in inferioribus vero Archidiacono, probavi *in c. 4. de offic. ord.* & conſtat *ex c. cum veniſſent, infra de inſtit.* Unde inveſtitura Eccleſiarum, & miſſio in poſſeſſionem corporalem pertinet ad ipſum Archidiaconum, *c. in tantum, de ſimon. c. ut noſtrum, de offic. Archid.* Joan. Saresb. *epiſt. 1.* " Ad hæc Huntfredus „ Eccleſiam ſuam ab antiquo liberam eſſe dicebat, aſſerens „ ſe ab Abbate Abbendione Eccleſiam liberam, & ſine expreſ- „ ſione cujuſque oneris recepiſſe, & per Archidiaconum „ Epiſcopi, ut mos eſt, in poſſeſſionem liberam canonice „ introductum. "

g *Archidiaconi.*) Poſſumus enim poſſidere, non ſolum per noſmetipſos, verum & per colonos, aut inquilinos, ut ſupra probavi *in c. 9. de reſtit. ſpol.*

4 h *Remanſiſſe.*) Licet ſtricta juris ratione, ſi decedant, aut deſinant poſſidere coloni, & ſimiles, per quos poſſidemus, amittamus poſſeſſionem, cum deficiat inſtrumentum poſſidendi; benigne tamen receptum fuit, ne deſinamus poſſidere, etſi illi poſſeſſionem derelinquant, ne ex eorum facto, aut voluntate pendeat noſtra poſſeſſio, *l. 3. §. ſi quis nunciet 6. ff. de acquir. poſſeſſ. l. cum quis 31. §. ſi ſervus, ff. de uſucapione*: niſi poſt mortem ſervi, aut coloni dominus neglexerit apprehendere poſſeſſionem, quoniam tunc ob ejus omiſſionem inducitur poſſeſſionis amiſſio. Obſervandum tamen eſt diſcrimen illud inter caſum mortis coloni, & derelictionem poſſeſſionis, quod ſi derelinquat poſſeſſionem, nunquam dominus cenſetur illam amiſiſſe; ſi vero deceſſerit, & dominus in ea apprehendenda morem fecerit, cenſetur amiſſa: quam differentiam præbuit Africanus in *l. ſi de eo 40. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* ut textum illum accipit Ant. Faber *de error. pragmatic. decad. 4. error. 6.* quamvis Cujac. *tract. 7. ad Afric.* & Giphanius in eo textu exiſtiment, mentem Conſulti fuiſſe ſequi ſcholam Sabinianorum, qui docebant, per diſceſſum coloni amitti poſſeſſionem. Sed cum in jure ſtatutum non ſit quantum tempus requiratur, ut amiſſa poſſeſſio cenſeatur per mortem coloni, recte arbitrio judicis hoc relinquunt Anton. Gomez *l. 45. Tauri, n. 109.* Connanus *l. 3. comment. c. 9. n. 5.* Faber, & Giphanius *ubi proxime.* Quid tamen procedat ſi colonus alii tradat poſſeſſionem, proſequitur D. Joſeph de Retes *in repetit. prælect. ad tit. de acquir. poſſeſſ. c. ult. de admit. num. 25.*

i *Non fuiſſet admiſſus.*) Sicut ad adipiſcendam poſſeſſionem requiritur apprehenſio rei ſimul cum animo ſibi habendi, *l. quemadmodum 8. ff. de acquir. poſſeſſ. l. fere 153. D. de R. J.* ita deficiente retentione rei, quamvis animus perſiſtat, deficit poſſeſſio, *l. ſi id quod 25. ff. de acquirend. poſſeſſ.* quia ubi duo, aut plura requiruntur, deficiente uno, cetera ſtare non poſſunt, *l. ſi hæredi 5. ff. de condit. inſtitut. leg. ſi is qui ducenta 13. §. cum ita 2. ff. de reb. dub. l. ſi quis ita 129. ff. de V. O.* pulchre Gellius *lib. 16. noctium, c. 8.* notavit Madera *animadv. c. 24.* Unde amittimus poſſeſſionem rei furto ablatæ, quia licet habeamus animum retinendi poſſeſſionem, non tamen ad ipſam rem accedere poſſumus, *l. rem quæ 15. ff. de acquir. poſſeſſ. leg. naturaliter 5. ff. de uſucap.* Non idem dicendum eſt in rebus immobilibus, non enim ſtatim eas amittimus, quamvis alius violenter eas occupaverit, donec id ſciverimus, & tamquam impares propulſandæ violentiæ depoſuerimus animum poſſidendi, ſeu retinendæ poſſeſſionis, *l. 3. §. ſi quis nunciet 8. cum ſequenti, l. clam 6. §. qui ad nundinas, l. rem 15. l. quod meo 18. §. penultim. & ultim. l. ſi id quod 25. §. 1. l. peregre 44. §. ultim. cum l. ſequenti, l. quamvis 46. §. igitur, ff. de acquir. poſſeſſ. l. 1. §. ſive 24. & §. penultim. ff. de vi, & vi armat. l. penultim. titul. 30. partit. 3.* Ratio hujus diſcriminis ex eo pendet, quoniam res mobiles per furtum celantur, occultanturque, nec dominus ad eas poſt ablationem accedere poteſt, quamvis velit: res vero immobiles per invaſionem non celantur, nec occultantur, & per conſequens dominus ad eas accedere poteſt, niſi perterritus abjiciat animum poſſidendi: unde recte ex Cumano *in l. 3. §. Nerva, n. 4. ff. de acquir. poſſeſſ.* quem ſequitur Jaſo ibi, *n. 3.* docuit Dom. Joſephus de Retes *lib. 1. opuſc. c. 14. n. 7.* datis eiſdem terminis accedendi ad rem mobilem, ut contingit quando palam res rapta fuit, quamdiu raptorem perſequimur, non amittere nos poſſeſſionem. Nec tunc obſtat textus *in l. metum 9. in princip. ff. de eo quod metus cauſa*, ubi docetur dejectum non videri eam, qui viſis hominibus armatis perterritus aufugit, nec expectavit ut dejiceretur; quoniam in eo textu non agitur de amittenda poſſeſſione, vel non amittenda, ſed an locus ſit remedio, & reſtitutioni de qua in illo titulo. Ceſſat ergo tam reſtitutio, quam interdictum *unde vi*, ſi quis aufugiat propter metum antequam dejiciatur, niſi poſtea fundus occupetur ab hominibus armatis, qui terrorem incuſſerunt, ut interdictum *unde vi* competat, *l. 1. §. idem 29. l. 3. §. ſi qui 6. & §. uti frui 14. ff. unde vi.* Unde in propoſito

ſito ita diſtinguendum eſt. Qui aufugit viſis hominibus armatis, ſtatim amittit poſſeſſionem, antequam armati fundum ingrediantur, quia illico deponit animum poſſidendi, nec rem amplius retinere vult, *leg. etſi nolit 7. ff. de acquirend. poſſeſſ.* ſed ut quis videatur dejectus, non ſufficit quod ipſe fugiat: neceſſe eſt enim, ut armati occupent poſſeſſionem; ut vero res cenſeatur violenter poſſeſſa, & incidat in vitium legis Juliæ Plautiæ, nec ſufficit ſi aufugiat, & armati fundum occupent, *leg. 4. §. item ſi 28. leg. non ſolum 33. §. ſi dominus de uſucap.* docuit D. Joſephus de Retes *d. cap. 14.*

j *Duo in ſolidum.*) Ut probavi late *in c. 9. de probat.* 6

k *Reducendos.*) Per remedium revocatorium attentatorum reliquis magis privilegiatum, cum & contra ſingularem poſſeſſorem detur, nec ei exceptio alterius ſpolii objici poteſt. Docent Covar. *pract. c. 24.* Oſualdus *l. 15. comment. Donell. c. 31. lit. E*, Berojus *in c. cum ſit, n. 79. hoc tit.*

l *Fructus medii temporis.*) Percepti, aut percipiendi, *c. 7. 11. & 16. de reſtit. ſpol. l. 4. C. unde vi.*

C A P U T LII.

Idem *N. S. Auguſt. & N. S. Georgii* a *Prioribus Cantuarien.*

DIlecti fil. Joan. & Hubertus nuncii dilectorum fil. N. prioris, & Monachorum Eccl. Cant. nobis humiliter retulerunt, quod cum pro cauſa, quæ inter dil. Priorem, & Monachos, & v. f. noſtr. N. Cant. Archiepiſcopum, ſuper capella de Lamech vertebatur, ab ipſis Priore, ac monachis mitterentur, ſicut eis propoſitum fuit, idem Archiepiſcopus poſt iter *c* arreptum in eos *d* excommunicationis ſententiam promulgavit. Cum autem plus ſit ad S. Apoſt. facto provocare, *e* quam verbo, & ipſis propter prædictam cauſam ad Rom. Eccl. venientibus, intelligitur ad S. Ap. provocatum: diſcretioni veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ſi verum eſt quod aſſeritur, dictos Joan. & Hub. appellatione poſtpoſita denuncietis excommunicationis vinculo non teneri. Datum Peruſii III. Idus Septemb.

N O T Æ.

1 a PRioribus.) Ita etiam legitur in 3. collect. *ſub hoc tit. c. 10. & in epiſt.* correctis a Cardin. Guillelmo Sirleto *l. 1. ep. 346. fol. 171.* Priores, de quibus hic, ambo ſunt Canonicorum Regularium Ordin. D. Auguſt. Primus ipſius Eccl. Cathedralis; ſecundus monaſterii S. Georgii apud Cantuariam: de quo Guillelmus *in Lanfranco*, ibi: " Extra Cantuariam urbem in Aquilonari parte lapideas domos omnibus egenis, in occidentali parte regia, valetudine fluentibus ligneas locavit. Canonicis etiam apud S. Georgium regularibus inſtitutis, qui in iis divina facerent officia, diviſis pro varietate ſexuum habitationibus, ſumptibuſque proviſis. " Refert Pennotus *l. 2. hiſt. Canonic. regul. c. 37. n. 7.* Et licet monaſteria hæc eſſe eremitarum D. Auguſtini contendat Marquez *in orig. erem. c. 3. §. 7.* tamen verius eſt eſſe Canonicorum Regularium, ut probat Pennotus *dict. l. 2. cap. 37. num. 3. & 4.*

2 b *Noſtrum N.*) Stephanum videlicet Lanton, qui temporibus Innoc. III. præfuit Eccleſiæ Cant. ut refert Smitheus *in ſerie Præſul. Cant. c. 11.*

c *Iter arreptum.*) Quo modo tacite appellatur, ut probavi *in c. meminimus, ſupra.*

d *Excommunicationis.*) Cum excommunicatio lata poſt appellationem interpoſitam nulla ſit, *c. dilecti 55. hoc tit.* ubi dicemus: & eiſdem judicibus reſpectu cujuſcunque cauſæ Monachorum Cant. reſcribit noſter Innoc. *epiſt.* antecedenti, apud Sirletum *fol.* 170. per hæc verba: (N. de Faveſham, N. ſancti Auguſt. & N. ſancti Georg. Prioribus in Cantuar. diœc. conſtitutis. Sic Apoſt. Sedes inter fratres, & Coepiſcopos noſtros paſtoralis diſpenſavit oneris gravitatem, ſic eos in creditæ ſibi ſollicitudinis partem aſſumpſit, ut nihil ſibi ſubtraheret de plenitudine poteſtatis, quo minus de ſingulis cauſis Eccleſiaſticis inquirere poſſit, & cum voluerit, judicare ad communem omnium utilitatem conſtituit, ut ad eam tamquam generalem omnium Matrem, & ſingulare fidelium Chriſti refugium appelletur, per quod & minorum tollatur oppreſſio, & ſuperiorum præſumptio refrænetur. Cum itaque appellationibus, quæ ad S. Apoſt. interponuntur, ſæpius velimus ab omnibus humiliter, & devote deferri, diſcret. veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus ex parte noſtra curetis fortius inhibere, ne quis in Cant. Eccleſiam, & dil. filios Priorem, & Monachos Cant. poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam excommunicationis, ſuſpenſionis, ſive interdicti ſententiam proferre præſumat. Si quis vero contra præſumpſerit, vel hactenus forte præſumpſit, ſententiam ejus nullam eſſe penitus nuncietis. Si qui etiam poſſeſſiones eorum invaſerint violenter, eos ad reſtitutionem earum per cenſuram Eccleſiaſtic. appell. poſtpoſita, compellatis. Nullis litteris obſt. veritate tacita, &c. Quod ſi omnes &c. Datum Spolet. IV. Nonas Sept.

3 e *Quam verbo.*) Non ſolum enim appellatur per verbum *appello*, verum & facto, ideſt arreptione itineris: & jure civili appellatio fiebat viva voce, vel per libellum, *l. a ſententia, §. ult. ff. de appel. l. litigatoribus, C. eod. tit.* Jure vero priſtino ſacrorum Canonum viva voce appellabatur, cujus moris veſtigium extat *in c. Synod. 17. diſt.* ibi: " Nam ſi ſæculares in publicis judiciis libellis utuntur appellatoriis, quanto magis ſacerdotibus hæc eadem agere licet. " Cyril. Patriarcha Alexand. quia gradu ſubmotus fuerat in Seleucienſi Concilio, appellatorio libello uſus eſt, quod inſolens fuiſſe refert Socrates *l. 2. c. 32.* " Qui ſimul atque de gradu eſſet dejectus, appellationis libello ad eos, qui eum dejecerunt, miſſo, ad majores judices provocavit, atque a Cyrillo ſolo ac primo, perinde ac ſi res apud laicos judices ageretur, contra Canonis Eccleſiaſtici, conſuetudinem provocatum eſt. " Sequentibus ſæculis etiam in cauſis eccleſiaſticis uſus libellorum invaluit, *c. Lotharius 31. q. 2. c. cordi, hoc tit. l. 6.*

COMMENTARIUM.

CUm Balduinus Cantuarienſis Archipræſul capellam de Lamech conſtruere cœpiſſet, ut Canonicos ſæculares ibi inſtitueret, monachi Cantuar. ad Sedem Apoſtolicam appellarunt; quare opus ipſum intermiſſum fuit, ut referunt Hovedenus *in Richardo* I. Neubrig. *l. 4. c. 33.* Sed defuncto Balduino Hubertus ejus ſucceſſor capellam cœptam a deceſſore perfecit, canonicos ibi inſtituendo, præbendis aſſignatis de redditibus menſæ Capituli Cantuarienſis. Quare dicti monachi opus novum nuntiarunt, ut refertur *in c. cum ex injuncto, de novi oper. nunc.* & nuncios miſerunt ad Innocentium III. ut dicta capella ſolo æquaretur, teſte Rogero Hovedeno *in ipſo* Richardo, anno 1198. Accuſabant etiam eum dicentes, quod ipſe in præjudicium Matricis Eccleſiæ Cantuariæ capellam novam conſtruxerat apud Lamech, in ea Canonicos ſæculares de bonis, & redditibus monachorum Cantuariæ ditatos conſtituerat, & in ea contra conſuetudinem, & dignitatem Cantuarienſis Eccleſiæ Epiſcopos conſecraverat; & niſi celerius remedium adhiberetur, timuerunt quod dignitas Cantuarienſis Eccleſiæ minueretur, & ad capellam illam apoſtatricem transferri videretur. Quod etiam refert Matthæus Veſtmonaſter. ad eundem annum: " Circa dies illos orta eſt diſſenſio inter Archiepiſcopum, & monachos Cantar. propter Eccleſiam, quam idem Archiepiſcopus apud Lambeshe de novo conſtruxerat. Timuerunt enim monachi, ne ſicut comminatum fuerat, Archiepiſcopus Sedem illuc Cathedralem transferret. Unde Romam profecti, Innocentio Papæ conqueſti impetrarunt, ut Archiepiſcopus a juſtitiaria deponeretur. " Et ipſam capellam ſolo æquatam fuiſſe narrat Matthæus Pariſ. *in Richardo*, anno Domini 1199. " Hubertus Cant. Archiepiſcopi Eccleſiam Lamehia, quam Balduinus prædeceſſor ſuus in honorem B. Thomæ Martyris fundaverat, & ipſe fere conſummaverat procurantibus monachis Cantuarienſibus, ſummoque Pontifice imperante, propriis ſumptibus, ad ſui, & multorum ignominiam complanavit. " Archiepiſcopus ergo poſt iter arreptum nuncios monachorum excommunicavit. Quam ſententiam nullam fuiſſe Innocentius in præſenti textu declaravit, quia prolata fuit poſt appellationem facto interpoſitam per itineris arreptionem.

C A P U T LIII.

Idem a *Epiſcopo Helienſi.*

PAſtoralis officii diligentia. *Et infra*: Quæſiviſti etiam diligenter, utrum quando inhibetur appellatio in reſcripto, fruſtratoria tantum appellatio inhibita videatur, ut ab omni gravamine liceat appellare; an omnis appellatio videatur excluſa, niſi tantum in caſibus expreſſis a jure? Nos igitur attendentes, quod per apellationem fruſtratoriam, etſi non fuiſſet inhibita, negotium non debuerat impediri, diligentiæ tuæ breviter reſpondemus, quod quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expreſſe; ſed ſi appellans fuerit gravatus injuſte, gravamen hujuſmodi per ſuperiorem poterit emendari.

NO-

N O T Æ.

a HElienſi.) Ita etiam legitur in 3. collect. *ſub hoc titul. c. 11. & in c. paſtoralis, de reſcript.* ubi alias partes hujus decretalis congeſſi, & epigraphen expoſui.

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expoſitione præmittendum eſt, a quo jure appellatio introducta ſit? Et plures exiſtimarunt, appellationis remedium quoad originem juris naturalis eſſe, quoad ſolemnitatem vero, & formam juris civilis. Ita docuerunt in præſenti rubrica Abbas *n. 6.* Mantua *n. 13.* Paz *in praxi, p. 6. in proœm. n. 6.* P. Gregor. *3. p. ſyntag. l. 1. c. 2. n. 52.* Myſing. *l. 1. obſer. 1. c. 14.* Hieron. Preutl. *vol. 2. diſp. 33. theſi 1.* Menchaca *l. 1. uſufreq. c. 1. n. 4.* qui tale conficiunt argumentum. Appellatio defenſio eſt, *c. cum ſpeciali 16. §. porro, hoc tit.* ſed defenſio eſt juris naturalis, *l. ut vim 3. ff. de juſtit. & jure, l. ſcientiam 45. §. qui cum aliter, ff. ad l. Aquil. l. 1. C. unde vi, l. 1. §. cum aliter, ff. ſi quadrupes pauper. Clem. paſtoralis, §. ceterum, de re jud.* Ergo appellatio juris naturalis eſt. Facit etiam pro hac ſententia, quod excommunicatis appellare permittitur, *c. cum inter 5. c. dilecti 8. c. 10. c. ſignific. 11. c. fin. de except.* etiamſi ut actores in judicio comparuiſſent, *d. c. ſignificavit 11.* quod non alia ratione procedit, quam ex ea, quia appellatio defenſio eſt, ut in eiſdem juribus notavi: unde deducunt Myſing. & Menchaca *ubi proxime*, ſtatuto, aut lege municipali appellationem tolli non poſſe, formam vero, & ſolemnitatem appellationis juris civilis eſſe ipſi probant *ex l. 2. §. edictis, ff. de orig. jur. leg. unic. C. de ſent. Præfecti Prætor.*

Contrariam tamen ſententiam, videlicet appellationem defenſionem eſſe, ſed non juris naturalis, imo juris poſitivi, docuerunt Covar. *pract. c. 23.* Pinellus *in rubr. C. de reſcind. vend. 1. p. num. 22.* qui ſequenti nititur fundamento. Ea quæ juris naturalis ſunt, firma, & immutabilia ſemper perſiſtunt, nec per Principem tolli poſſunt, *c. ſunt quidam 25. q. 1. c. fin. de Clem. paſtoral. §. ceterum, de re jud.* Sed appellatio per Principem tolli poteſt, unde frequenter legimus, cauſas committi, & delegari cum clauſula *appellatione remota*, *c. 1. de reſcr.* ubi notavi, *c. ſuper eo 25. c. ſuper 27. §. ſi vero, de offic. deleg. l. 1. §. interdum, ff. a quibus appellare, l. 16. tit. 23. p. 3.* facit enim pro hac ſententia, quod jus appellandi pacto remitti poteſt, *l. fin. §. fin. C. de temp. appel.* Igitur quia eſt remedium juris poſitivi.

In hoc Interpretum diſſidio placet media ſententia, videlicet quod licet appellatio, ut eſt defenſio oppreſſorum, jure naturali nitatur, non tamen omnino juris naturalis eſt, & ſemper; ſed tunc tantum, cum perpenſis negotii circumſtantiis neceſſaria eſt ad juſtitiam adminiſtrandam, atque jus ſuum proſequendum: & tunc lege, aut reſcripto Principis tolli non poterit, ut docent Balboa *in c. 1. hoc tit. n. 13.* Oſualdus *l. 23. c. 2. lit. A.* Scaccia *de appel. q. 16. limit. 1. n. 23.* Fragoſo *t. 2. de regim. l. 8. diſp. 24. §. 12. n. 113* In aliis vero caſibus poterit per Principem tolli, ut probavi *in c. 1. de reſcrip.* nec ex eo defenſio jure naturali introducta ſublata dici poteſt, ſi ipſe cujuſcumque cauſæ etiam gravis cognitionem committat judici integerrimo, apud quem cum in prima inſtantia partes legitime citentur, & audiantur, ſatis illis proſpectum eſt, etiamſi appellatio inhibeatur. Unde Innoc. III. qui ſolers fuit in appellationum ambagibus diſſolvendis, & ne crebro Sed. Apoſt. turbaretur, hanc clauſulam, *appellatione remota*, ſuis reſcriptis plerumque inſeri juſſit, quam deſumpſit ex reſcriptis Imperatorum, qui ſolebant cauſas committere ſine provocationis ſpe, ut de M. Antonio refert Ulpianus *in l. 1. §. fin. ff. a quibus appellare liceat.* Hanc autem clauſulam non ita ſtricte Summi Pontifices probarunt, imo tantum in frivolis, & fruſtratoriis, *c. 9. 15. 30. 36. & 47. hoc tit.* nec per eam clauſulam removetur appellatio, ſi ſententia manifeſtam contineat iniquitatem, *c. inter 9. de re jud. c. ex conqueſtione 19. de reſtit. ſpol.* jam probavi *in c. 1. de reſcr.* 3

§.

VErum quia multotiens quis ad tempus per appellationem legitimam a judicis ſui, quoad aliquem certum articulum *a* eximitur poteſtate: tuæ fraternitatis nos duxit diſcretio conſulendos, utrum ſi clericus excommunicationis ſententia innodatus, ante *b* denunciationem ipſius ab ea tandem minus rationabiliter promulgata, in eo caſu, in quo ante ſententiam appellatio vires obtinuiſſe videtur, curaverit provocare, eo quod per appellationem interpoſitam excommunicantis videtur juriſdictio dormitaſſe, ipſe denuntiare poſſit eundem, & ad tempus eccleſiaſticis beneficiis ſpoliare, cum per provocationem taliter factam ſuo effectu excommunicatio non privetur. Nos itaque inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod cum executionem excommunicatio ſecum trahat, & excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur, ipſum excommunicatum denunciare non immerito potes, ut ab aliis evitetur; & illi nimirum *c* proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.

N O T Æ.

EXimitur.) Quoad ipſam cauſam, ut notavi *in cap. cum teneamur, de hoc tit.*

1 b *Denunciationem.*) Denunciatio in præſenti accipitur pro ſolemni quadam, & publica excommunicationis promulgatione, quæ licet non ſit de ſubſtantia cenſuræ, propterea quod excommunicatio operatur ſuos effectus in excommunicatum ante denunciationem: nihilominus denunciatio fit duplici ratione. Prima, ut poſſit vitari ab aliis, *c. cura, c. debent, 11. q. 3. c. de potentibus 24. q. 3.* Secunda, ut rubore ſuffuſus, citius reſipiſcat, & ad pœnitentiam perducatur, *c. parochianos, de ſent. excom. c. 1. de except. in 6. extravag. Ad evitanda*, Joan. XXII. quod & in aliis cenſuris obſervatur, ut de interdicto probatur *in c. pervenit, hoc tit. Clem. ult. de cenſibus*: de ſuſpenſione, *Clem. 2. de pœnis.* Denunciatio hæc ſi agatur de ſententia lata ab homine, fieri debet ab eo, qui ſententiam protulit, ut docetur in præſenti §. & probat Ricciul. *l. 4. de jure perſon. c. 62.* Si vero agatur de excommunicatione lata a lege, denunciatio eſt facienda a judice ordinario, in cujus diœceſi delictum fuit admiſſum, *c. 1. de treg. & pace.* Forma enim hujus ſolemnis denunciationis refertur *in c. debent, 11. q. 3.* ita ut duodecim ſacerdotes circumſtent Epiſcopum, quoties ſolemniter excommunicationem profert, qui deinde cereos conculcant pedibus; quando vero Pont. ſolemniter excommunicat, habet adſtantes 12. Epiſcopos, ut refert Sayr. *l. 1. theſauri, c. 15.* & aliquando legimus ſententiam anathematis Chriſti ſanguine exaratam, ut contra Pyrrhum Monothelitam in Concil. Rom. anno 648. teſte Theophane *in miſcel. an. 20.* quod & factum fuiſſe in Synodo 8. contra Photium refert Nicetas *in vita S. Ignatii.* Addunt etiam imprecationes ex Pſalm. 108. pulſantur campanæ, & alii ſimiles ritus adhibentur pro cujuſque Eccleſ. conſuetudine, qui obſervandi ſunt, niſi ex ignorantia ſuperſtitionem, aut irreverentiam contineant, ut *in c. 2. de offic. ordin. l. 6.* Alia proſequuntur de hac denunciatione Gibal. *de cenſ. diſq. 6. q. 3. per tot.* Ricciul. *ubi prox.*

c *Proventus Eccleſiaſtici.*) Certum eſt, clerico excommunicato, & perſiſtenti in ipſa cenſura, proventus Eccleſiaſticos ſubtrahi, ut poſt Suar. *de cenſ. l. 2. diſp. 13. ſect. 2.* probat Guttier. *l. 1. canonic. c. 1. n. 90.* & variis ampliationibus exponit Ricciulus *de jure perſ. l. 4. c. 1. per tot.* Quæ privatio fructuum beneficii Eccleſiaſtici ipſo jure fit; ita ut incurſa excommunicatione ipſo jure, privatio proventuum ſequatur, ut docent Covar. *l. 3. variar. c. 13. n. 8.* Mancinus *dier. genial. cent. 1. c. 45. per tot.* unde nulla attentati ſuſpicio in præſenti ſpecie dari poterat, ſi clerico excommunicato judex ipſe, qui ſententiam protulit, poſt appellationem ab eo interpoſitam illum fructibus privatum eſſe declaravit. Excommunicatus enim dum cenſura ligatus eſt, privatur fructibus ſui beneficii, niſi ex ſpeciali gratia perceptio fructuum, portioniſve eorum illi permittatur, *c. ſtudeat, 1. diſt.* ut Urſicino Gadurcenſi Epiſcopo relicta eſt, teſte Gregorio Turon. *lib. 8. c. 20.* quem refert Alteſſeara *in præſenti.*

COMMENTARIUM.

NOtum eſt, excommunicatum ab ipſa cenſuræ ſententia appellare poſſe; *c. per tuas, c. ſacro, de ſent. excomm. c. venerabilibus, c. licet, eod. tit. in 6. c. ad præſentium, c. ad hæc, hoc tit.* quia excommunicatio eſt omnium pœnarum maxima, *d. c. ſacro, §. cumque, c. 1. de ſent. excomm. in 6.* Unde reus non debet ad eam arcendam communi appellationis remedio deſtitui: & quia cum appellatio defenſio ſit, ut in principio hujus textus probavi, non debet denegari excommunicatis, ex textu *in c. 2. c. dilecti 8. c. ſignificaſti 11. de except.* ubi notavi, & docent Ricciulus *d. l. 4. de jure perſon. c. 63.* Gibalin. *de cenſ. diſquiſ. 6. c. 6.* Guttier. *l. 1. canonic. c. 1.* Salgado *de protect. p. 1. c. 8. n. 18.* Guazinus *in defenſ. reor. defenſ. 36. c. 6.* Sed licet regulariter omnis appellatio duos producat effectus, devolutivum videlicet, per quem ſuſpenditur executio ſententiæ, & ad ſuperiorem cognitio devolvitur, *c. paſtoralis, §. præterea, de offic. deleg. c. venientes, de jurejur. l. ſi cauſa, C. de tranſact.* alium ſuſpenſivum, ob quem ſuſpenditur juriſdictio judicis a quo quantum ad illam cauſam, *c. ſuper eo, hoc tit.* probavi ſupra *in c. 1.* appellatio tamen ab excommunicatione interpoſita tantum effectum devolutivum, non vero ſuſpenſivum operatur, *c. ad reprimendam 8. de offic. Ordin. c. ad hæc 37. hoc tit. c. is cui, in fine, de ſent. excomm. l. 7.* pluribus relatis docent Ricciulus *l. 4. de jure perſon. c. 64.* Gibalin. *de cenſ. d. c. 9.* Guttier. *l. 1. canonic. c. 1.* Barboſa *in præſenti, & voto 35. n. 100.* Quod ſpecialiter procedit in appellatione ab excommunicatione interpoſita, cujus ſpecialitatis quatuordecim reddit rationes Abbas *in præſenti*: ſed illis omiſſis, placet ratio adducta a collega noſtro D. Franciſco de Amaya *l. 2. obſerv. c. 15.* deducta ex verbis hujus §. videlicet, quod ideo ab excommunicatione appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, quia excommunicatio ſecum trahit executionem, quia judex, qui ſua pronunciatione aliquem excommunicat, ſtatim ſeparat a communione fidelium, ut docetur *in d. c. per tuas 40.* Unde per appellationem ab ea liberari non poteſt, exemplo vulneris in momento illati, quod poſtquam infligitur, avelli non poteſt, *c. ſi Paulus 32. q. 5.* Cum igitur excommunicatio ſecum trahat executionem, ſero medicina paratur per appellationem, quæ cum non poſſit ſeparationem ab Eccleſia factam tollere, conſequens eſt, ut excommunicatus ad Eccleſiam redire non poſſit, niſi virtute abſolutionis, *c. cum deſideres 15. §. ult. c. ſicut 39. de ſent. excomm.* adeo ut nec ſufficiat ſatisfactio, ſeu emenda, *c. ſervetur 11. q. 3.* probavi *in c. 1. de jud.* idque optima ratione; nam cum vinculum excommunicationis

a cla-

a clavium poteſtate procedat, ab eadem poteſtate tollendum eſt per viam appellationis, cujus vices non gerit appellatio; unde licet in aliis ſententiis, in quibus poſt prolationem executio judicis deſideratur, appellatio effectum ſuſpenſivum producat; tamen appellatio ab excommunicatione illum non operatur, quia executionem ſecum trahit. Cum ergo natura cenſuræ ferat, ut ſecum trahat executionem, eo quod non indigeat ullo miniſterio externo, ut mandetur executioni, ab illa non poteſt appellari, ne incurratur; quia a ſententia executioni mandata non appellatur.

4 Ex quibus jam apparet vera ratio præſentis deciſionis: nam cum appellatio non poſſit ſuſpendere excommunicationem, nec tollere ejus effectus, ideo denunciatio facta a judice appellatione pendente, qua declarat ipſum excommunicatum fructibus beneficii eſſe privatum, innovaſſe non creditur. Hanc etiam denunciationem facere poteſt, tam judex ordinarius, quam delegatus, quia etſi delegatus detulerit appellationi, manet tamen judex quoad ea, quæ ſunt acceſſoria prioris ſententiæ, ut docet Vvameſius *in præſenti*, *n. 9.* Illud tamen ſumme notandum eſt, ita demum hanc denunciationem permitti, ſi judex per eam aliquid non adjiciat priori ſententiæ, ut obſervant Francus *in præſenti*, *n. 25.* Lancell. *d. limit. 21. n. 15.* Scaccia *de appel. q. 17. limit. 22. n. 12.* alioquin ſi aliquid adjiciat, tunc appellatione pendente prohibita cenſetur, cum per illam videatur innovari circa priorem ſententiam: cujus rei non inelegans exemplum peti poteſt *ex c. tua 19. de ſent. excomm.* ubi incendiarii poſt denunciationem ab alio abſolvi non poſſunt, niſi a Pontifice. Explicat Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 2. a n. 15.* Suarez *eod. tract. l. 3. c. 29. a n. 7.* Molina *de juſtitia tract. 2. diſp. 60. q. 4. n. 2.*

C A P U T LIV.

Idem *Epiſcopo* a *Pariſienſi*.

SOlicitudinem paſtoralis officii prudenter exequeris, cum ſuper dubitationibus juris reſponſo Sed. Apoſt. poſtulas edoceri. Sane ſicut ex tua inſinuatione recepimus, duobus coram ſuo Epiſcopo litigantibus, cum alter eorum ad S. Apoſt. appellaſſet, Epiſcopus interpoſitæ appellationi non deferens, ſed appellantem reputans contumacem, ipſum excommunicationis vinculo *b* innodavit: ſed is coram Metropolitano ſuo de Epiſcopo ſibi petiit ſuper hoc juſtitiam exhiberi, aſſerens quod poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam, ipſum excommunicaverat, & excommunicatum fecerat publice nunciari, & petens ſe ad eum ſtatum, quo fuerat appellationis tempore, a Metropol. reduci, denunciari videlicet abſolutum: adjiciens etiam, quod appellationi non *c* renunciabat objectæ, ſed proſequi volebat eandem. Unde tua fraternitas requiſivit a nobis, utrum Metropolitanus de hujuſmodi conqueſtione cognoſcere *d* valeat; & ſi repererit illum legitime provocaſſe, an eum denunciare debeat abſolutum, & an ſi Epiſcopus coram Archiepiſcopo appellaverit, ne is qui excommunicatus fuerat, abſolvatur, appellationi ſit hujuſmodi deferendum. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſicut Metrop. de appel. ad nos interpoſita cognoſcere omnino non valet, ſic nec de his, quæ poſt appellationem ipſam fuerint innovata, dummodo de illis cognoſci non poſſit, niſi de appellatione pariter cognoſcatur, vel de iis, quæ appellationis cauſam contingere dignoſcantur. In quo caſu, ſi Metropolitanus ad cognoſcendum ſuas partes interponere forte præſumeret, Epiſcopus utique poſſet ad appellationis beneficium convolare; nam ad officium ejus, qui de appellatione cogniturus eſt, pertinet prudenter corrigere quæ contra ipſam invenerit attentata. Si vero notorium forſan exiſteret, quod mandatum Epiſcopi indiſcretum fuerat, vel injuſtum, cui non tenebatur ſubditus obedire, ac per conſequentiam ei liquerat evidenter, ſubditum legitime provocaſſe, poteſt Archiepiſcopus auctoritate Metropolitica denunciare ſubditum irrationabiliter extitiſſe anathematis mucrone perculſum. Cum autem excommunicatus, qui appellaverat, juxta præſcriptam formam coram Archiepiſcopo deponit contra Epiſcopum quæſtionem, ut videlicet de injuria ſibi ab Epiſcopo irrogata cognoſcat, Metropol. ipſe ad cognoſcendum de cauſa poteſt interponere partes ſuas, cum ille appellationis proſecutioni renunciare tacite videatur: ſed ſi verbo, vel facto appellationem ſe velle proſequi proteſtatur, ſicut in propoſito caſu ſuperius eſt expreſſum, non eſt tamquam adverſa petens, & ſibi contrarius, *e* audiendus.

N O T Æ.

a P*Ariſienſi.*) Ita etiam legitur in 3. collect. *ſub hoc titul. c. 12.* De Pariſienſi Eccleſ. notavi *in c. fin. de conſtit.*

b *Innodavit.*) Quod facere non debuit, juxta adducta *in cap. 1. hoc titul.*

1 c *Non renunciabat.*) Imo etſi coram ipſo judice comparuiſſet appellans, facta illa proteſtatione, non crederetur appellationi renunciaſſe, ut docet Salgado *de protect. 2. p. cap. 8. num. 69.*

2 d *Non valet.*) Non poteſt adiri per viam querelæ, ſed tantum ex cauſa appellationis, *cap. 1. de offic. Legati*: nec etiam judex a quo appellatum eſt, *c. cum teneamur, hoc tit.* Hoc diſtat querela ab appellatione, quod per viam querelæ adiri poteſt æqualis judex, non per viam appellationis, *c. ſi quis Preſbyter, c. Epiſcopi, 11. q. 3.*

3 e *Audiendus.*) Cum regulariter poſterior actus priori deroget, ſive conſtet ex voluntate duorum, *ut in l. pacta 12. Cod. de pactis*; ſive unius, ut *in l. 4. ff. de adimend. legat. l. cum hic ſtatus 32. §. 1. ff. de donat. inter, §. poſteriore, Inſtit. quibus modis teſtam.* recte in præſenti docetur, eum qui proteſtatus eſt, ſe nolle appellationi renunciare, non debere admitti ad actum contrarium, per quem videatur appellationi renunciaſſe; quia contraria proponens non eſt audiendus. Quod & probant textus *in c. quod autem*, ubi Gloſſa *verbo Contraria*, *23. q. 7. c. quam præpoſterum, 13. q. 2. c. litteras, de præſumpt. c. geſta, 74. diſt. l. 1. C. de furt.* unde Eccleſiaſticum vim non facere, ſi non deferat appellationi ab eo interpoſitæ, qui contraria allegat, reſolvit Salgado *d. 2. p. c. 18. num. 67.* Circa revocationem appellationis jure hoc quandocunque illi renunciare licet, *cap. dilecta, hoc tit.* Jure civili olim intra triduum revocari appellatio poterat, *l. 56. C. hoc tit.* Sed Juſtinianus appellationem quandocunque revocare licere ſtatuit *in l. ſi quis libellos, C. hoc tit.*

C A P U T LV.

Idem *Epiſcopo Cant. & M. Archid.* a *Trecenſi*.

DIlecto f. *b* Decano Altiſſiod. Eccleſiæ, ac Magiſtro *c* B. ven. f. n. Altiſſiod. Epiſcopi procuratore in noſtra præſentia conſtitutis, idem Magiſter propoſuit coram nobis, quod cum dictus Epiſcopus R. presbyterum *d* domus Dei, in qua proviſionem, & diſpoſitionem plenariam obtinere dignoſcitur, detineri faceret vinculis mancipatum, pro eo quod bona quædam ejuſdem, quæ furtive ſubtraxerat, reſtituere detrectabat, propter quod etiam ab eodem Epiſcopo fuerat excommunicationis vinculo innodatus: & ſupradictus *e* Decanus Epiſcopum monuiſſet, ut eidem reſtitueret, vel ſaltem *f* recrederet presbyterum memoratum, quem ad juriſdictionem ſuam ſpectare firmiter aſſerebat: Epiſcopus metuens, ne Decanus aliquid in ſuum præjudicium attentaret, ſe ac ſuos, juxta ſtatutum Eccleſiæ, ac civitatis ſuæ *g* protectioni Metropolitani ſupponens, ad *h* Metropolitanæ Sedis audientiam appellavit, feſtum S. Mariæ Magdalenæ proximo præteritum terminum appellationi præfigens. Verum Decanus poſt modicum Canonicis Altiſſiod. convocatis, *i* interdictum hujuſmodi, eis contradicentibus promulgavit, ut Epiſcopo in civitate præſente a divinis in Altiſſiod. Eccleſia *j* ceſſaretur. Poſtmodum vero, cum die appellationi præfixo comparuiſſent partes coram Officiali Curiæ Senon. Decanus allegans, quod appellationi ab Epiſcopo interpoſitæ ideo non duxerat deferendum, quoniam presbyter ſupradictus adhuc in vinculis tenebatur, vocem ad nos appellationis emiſit: Officialis autem irritum judicavit interdictum a Decano poſt appellationem Epiſcopi ad S. Metropol. interpoſitam promulgatum. *Et infra*: His igitur, & aliis, quæ utrimque fuere propoſita coram nobis, intelleximus evidenter, quod etſi Epiſcopus prudenter, & utiliter providiſſet, & recrediſſet Decano presbyterum ſæpedictum, ad omnem prorſus ſcandali materiam amputandam; quia tamen idem Epiſcopus, ſicut præmiſſum eſt, diverſos modos expreſſit, ſecundum quos Decanus paratus fuit ſuper captione presbyteri juſtitiæ plenitudinem exhibere, ad Metropol. Sedem appellans, Decanus poſt hoc non potuit ferre *k* ſententiam interdicti, & ideo de communi f. n. conſilio ſententiam ipſam ab eo poſt legitime promulgatam irritam decernimus, & inanem, illo nequaquam obſtante, quod Decanus ad excuſationem ſuam quaſi variando propoſuit coram nobis, quod prius quam Epiſcopus appellaſſet, ipſe ſententiam tulerat, cujus tamen effectum ad tem-

tempus duxerat ſuſpendendum, cum interim appellatione interpoſita procedere non debuerit ad ſententiam exequendam: *l* Officialis tamen proceſſum, qui poſt ap. Sed. Ap. interpoſitam, hujuſmodi ſententiam interdicti decrevit, irritam, & inanem, & mandavit penitus non ſervari, temerarium judicantes, cum appellatione ad nos interpoſita, nihil debuit innovari. Præterea licet excommunicationis ſententia per Epiſcopum promulgata, rite lata prima facie videretur, quoniam cum per jamdictum Officialem mandatum eſſet, ne ſervaretur in Eccleſia interdictum: & idem Decanus, ne celebraretur in Eccleſia prohibendo, divinum videretur officium perturbare: quia tamen per appellationem ad nos interpoſitam ex parte Decani, cui etiam Officialis duxerat *m* deferendum, *n* apoſtolos concedendo, non ſolum principale negotium, ſed acceſſoria etiam ad noſtrum referebantur examen, ſententiam, utpote poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam, decernimus viribus caruiſſe, ac ipſum Decanum ea non fuiſſe ligatum. Verum licet Archiepiſc. quorundam conſilio circumventus, poſt appellationem ad nos emiſſam, de qua ſibi per officialis ſui litteras innotuerat, Decanum denuntiaverit evitandum, Senon. tamen Canonicos, qui ſaniori ducti conſilio communicarunt eidem, ut appellationi ad nos interpoſitæ magis quam denunciationi ab Archiepiſcopo factæ deferrent, inculpabiles judicamus.

N O T Æ.

a T*Recenſi.*) Ita etiam legitur in 3. collect. *ſub hoc tit. c. ult.* ideſt Epiſcopo, Cantori, & Majori Archidiac. Trecenſi, ut expoſuit Cujacius *in præſenti*, de Eccleſia Trecenſi nonnulla notavi *in c. cum M. de conſtit.*

1 b *Decano.*) Guillelmo videlicet, quia in Eccleſia Senon. Theſaurariam, & Archidiaconatum Pruvinienſem obtinuit: in Altiſſiod. vero adeptus eſt Decanatum, ad quem abſens, & in remotis agens regionibus ſtudendi cauſa a Canonicis Eccleſiæ concorditer eſt electus, in quarum dignitatum adminiſtratione ſtrenuus valde fuit, & efficax; nam ut ſpiritualia fideliter diſpenſaret, temporalia conſervare curavit; & ſi qua jura oppreſſione alicujus latuerant, magno labore, & ſtudio prodire in lucem fecit. Demum electus fuit in Epiſcopum Altiſſiod. a qua Eccleſia translatus fuit in Pariſienſ. ut refertur in hiſtoria edita a Philippo Labeo *tom. 1. biblioth. noviſſima*, *fol. 480.* ubi ſub hoc tit. *qualiter jura Decanatus Altiſſiodorenſis adverſus Epiſcopum proſecutus eſt*, hæc verba referuntur: „ Circa Decanatus jura tuenda eo amplius vigilavit, „ quo juriſdictioni ſuæ imminente Epiſcopo major reſiſtendi „ neceſſitas incumbebat. Cui ſic reſtitit cum effectu, ut cau- „ ſas civitatis, excepta parochia S. Lupi, quæ non eſt de „ juriſdictione Decani, non audiret alius præter ipſum, vel „ officialem ſuum, niſi per appellationem ad majorem au- „ dientiam fuiſſent delatæ.

c *B.*) Bernardi videlicet de Soliaco, cujus vita refertur *d. tom. 1. biblioth. noviſſ. fol. 495.*

d *Domus Dei.*) Ita appellatur hoſpitalis Altiſſiod. in quo, ſicut in aliis, juriſdictionem habere intendebat Decanus, *c. 3. de religioſ. domibus.*

2 e *Decanus.*) Quia cognitio cauſarum civitatis Altiſſiodor. ordinario, & primo loco ad juriſdictionem Decani pertinet, adeo ut ſi aliqui de juriſdictione ipſius coram Epiſcopo in jus vocarentur quandoque, niſi per appellationem, plerumque revocabantur a Decano cognoſcendi ſibi jus vindicantes plerumque exceptioni fori oppoſita non cogebatur ulterius coram Epiſcopo, vel ejus Officiali experiri. Aliquando tamen in his, & aliis ad juriſdictionem pertinentibus cœpit Epiſcopus Decanatum impugnare, & non ſolum per ſe, ſed per officialem ſuum immediate, & abſque appellatione de cauſis civitatis cognoſcere, ut in præſenti traditur, & fuſe refertur *in d. bibl. fol. 584.*

3 f *Recrederet.*) Ideſt ſub cuſtodia daret, ut apud Ivonem *ep. 275.* ibi: „ Dicet Comes, quod libenter redderet, aut recre- „ deret Comitem Nivernen. „ Et in veteri formula edita a Bignonio ex inſtrumento reperto in tabulario S. Martini Turon. „ Et ſic ex ipſis decimis ſeſe recredidit, & per feſtu- „ cam guerpivit. „ Et in alia veteri formula edita ab ipſo ex incerto auctore, *c. 1.* „ Ipſe homo in præſenti pro colono „ ad caſam Sancti illius, vel ipſius Abbatis recognovit, vel „ recredidit. „ Refert Voſſius *de vitiis ſerm. l. 4. c. 20.* Reddere, & recredere ſunt diverſa: recredere forenſibus eſt reſtituere per modum proviſionis, pendente lite. Ivo Carnot. *ep. 275.* & Gofridus Vindoc. *l. 11. ep. 30.* „ Olim Carnotenſis Ec- „ cleſia boves, & oves, vel quæcumque Eccleſiarum prædæ, ſi „ caperentur, reddi, aut recredi faciebat. „ Unde & recredentia pro fiduciaria, ſeu momentaria reformatione poſſeſſionis.

g *Protectione.*) Et ita tacite appellavit, juxta adducta ſupra *in c. 34.*

h *Metropolitani.*) Archiepiſcopi videlicet Senonenſis.

i *Interdictum.*) De quo item legitur *in d. hiſt. Altiſſiod. fol. 481.* 4
„ Sacerdotes quidam, qui parochias regebant civitatis quan- „ dam interdicti ſententiam in civitate Altiſſiodor. prolatam, „ quam Decanus ipſe præceperat obſervari, Epiſcopo jubente „ contrarium, non ſervarunt, ac propter hoc a Decano ſuſpenſi, „ ipſos abſolvente Epiſcopo, ſua propter Decani ſententiam ta- „ liter ab Epiſcopo relaxatam non prætermiſerunt officia exerce- „ re, Epiſcopi auctoritate ſuffulti: tandem eorum inobedientiam „ Epiſcopo defendente, tanta eſt Senonenſis Sedis Metrop. exa- „ mine per appellationem victrice conſtantia proſecutus, quod „ dictante juſtitia ſuccumbente in jure Epiſcopo, Decano de „ inobedientia ſatisfacere ſunt compulſi, qui in virga viſitans ini- „ quitates eorum, & in verberibus peccata eorum, ipſos in Capi- „ tulo Altiſſiod. virgarum fecit publicam ſolemniter excipere „ diſciplinam, inter quos unus magnæ gravitatis, & nominis, „ Magiſter videlicet Robertus, prior B. Mariæ extra Muros, „ licet opinione magnus exiſteret apud omnes, & propter hoc „ magis dum verecundaretur ſuccumbere, contumacior fuerat, „ & rebellis apud S. Marianum retruſus in clauſtrum, & ab „ adminiſtratione Prioratus ſui remotus ad tempus, ad nutum „ ipſius Decani in pane, & aqua per aliquot dies exegit pœ- „ nitentiam, multatus pœna per Abbatem ſuum quæ rebelli- „ bus, & inobedientibus conſuevit infligi: quoſdam etiam „ Canonicos B. Mariæ infra Muros, quos abſque præſen- „ tatione Decani Epiſcopus ordinaverat, facta ſibi ab or- „ dinatis pro illo exceſſu emenda, pœna a ſe dictata multavit.

j *Ceſſaretur.*) Licet ceſſatio valde differat ab interdicto, 5
tamen quia per utramque cenſuram privatio divinorum officiorum contingit, ideo aliquando interdicti nomine ſignificatur ceſſatio, ut in præſenti textu, uti notarunt Gloſſa, & Panorm. & poſt eos Gibalinus *de cenſur. diſquiſ. 1. q. 2. n. 25.*

k *Sententiam interdicti*) Quia pendente appellatione nihil eſt innovandum, ut probavi *in c. 1. hoc tit.*

l *Officialis.*) Vicarius videlicet Archiepiſcopi, qui paſſim in jure dicitur Officialis, *c. 3. de inſtitut.* ubi notavi.

m *Deferendum.*) Per ipſum Decanum, non vero per Epiſcopum, ut voluit Barboſa *in præſenti*, & *alleg. 38.* qui inde late diſputat, an Epiſcopus poſſit ſuſpendere interdictum in propria diœceſi poſitum a ſe, vel ab alio.

n *Apoſtolos.*) Ideſt litteras dimiſſorias, ut expoſui *in c. 5.* 6
hoc tit. & probat Meurſius *in gloſſario*, *verbo Apoſtolos*.

C A P U T LVI.

Idem a *Mediolan. Archiepiſcopo*.

UT noſtrum prodeat de Dei vultu judicatum, & oculi noſtri videant æquitatem, via regia debemus incedere, neque ad ſiniſtram omnino, neque ad dexteram declinare, ita magnum judicantes ut parvum: quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum. *b Et infra*: Quia poſt interdictum noſtrum eis præſumpſiſti tradere bullam, cum traditionem ſaltem debuiſſes differre, donec noſtrum conſuleres beneplacitum, dil. fil. I. Archid. & O. Lento Canonico Mediol. dedimus in mandatis, ut ſi etiam poſt ſecundum mandatum, per quod totius cognitionem negotii ad noſtrum judicium revocavimus, id ipſum cognoſcerent attentatum, traditionem ſigilli decernerent irritam, & inanem, inhibentes H. quomodolibet eo uti præſumeret, cum plus ſit R. Pontif. ad ſe aliquod evocare negotium, quam quemquam ad eum ſuper aliquo negotio provocare. *Et infra.*

N O T Æ.

a M*Ediolan.*) Ita etiam legitur *in c. unic. ſub tit. ut eccleſiaſtica beneficia*, in tertia collectione, & *in c. ut noſtrum 9. de offic. Archid.* ubi integram textus retuli, & epigraphen expoſui.

b *Et infra.*) Aliæ partes hujus textus extant *in c. ut noſtrum, de offic. Archid. c. unic. ut Eccleſiaſtica benef.* Caſus autem ita contigit. Cum vacaret officium Cancellarii in Eccleſia Mediolanenſi, Archiepiſcopus per annum moram fecit in ejus collatione, & ita jus conferendi devolutum fuit ad R. Pontif. juxta ſtatutum Concilii Later. de quo egi *in titul. de ſuppl. neglig.* Unde Innocentius juſſit Archiepiſcopo Mediol. ne ad ipſius dignitatis collationem procederet. Archiepiſcopus autem neglecto Pontificis juſſu, alii prædictam dignitatem contulit: quare Innocentius nullam eſſe hujuſmodi collationem declaravit, ex ea ratione, quia ſi quod ſit poſt appellationem interpoſitam ad R. Pontif. nullum eſt ipſo jure, juxta adducta ſupra *cap. 1.* multo magis quod innovatur, poſtquam Pontifex omne negotium ad ſe avocavit.

C A-

CAPUT LVII.

Idem *Abbati* a *S. Felicis*, *& G. Canonico Bonon.*

OBlatæ nobis litteræ continebant, quod cum quidam judices, quibus cauſa, quæ inter de Sambro & de Rivo Cornicario plebes vertebatur, abſque appellationis *b* remedio fuerat ad S. Apoſt. commiſſa, pro plebe Sambri ſententiam protuliſſent, & a procuratore plebis de Rivo Cornicario ad nos fuerit ſine termino appellatum, nec delatum appellationi fuiſſet, nec ad proſecutionem ipſius terminus a judicibus partibus aſſignatus, Plebanus de Sambro ſuper obſervatione prædictæ ſententiæ, ſicut rationabiliter lata erat, ad vos litteras, & alias pars alias commiſſionis litteras a nobis ſuper infirmanda, vel confirmanda eadem poſtmodum ad alios judices impetravit, nulla in poſterioribus litteris de prioribus habita mentione. Unde in dubitationem revocato, an poſteriores judices, vel vos de illa debeatis cognoſcere, nos ſuper hoc conſulere voluiſtis. *Et infra*: Licet igitur appellanti legitime a ſententia indulgeatur annus a lege, aut ex juſta cauſa *c* biennium ad ap. interpoſitam proſequendam; quia tamen hujuſmodi terminus poteſt reſtringi non ſolum a provocante, verum etiam a judice, a cujus ſententia provocatur, cum id ſit conſtitutum, non ut terminus ipſe præveniri non poſſit, ſed ne valeat prorogari, credimus diſtinguendum, in quo caſu impetrentur. Et quidem quando certus terminus ab appellante, vel judice appellationi præfigitur proſequendæ, ſi eo tacito appellatus litteras impetraverit, hujuſmodi litteræ tanquam tacita veritate *d* ſubreptæ obtinere non debent aliquam firmitatem. Si vero non ſit aliquis certus terminus a judice, vel appellante præfixus, pars appellata intra terminum conſtitutum a lege, dummodo nimium non procurrat, ut appellantem in commiſſione impetranda ſupplantet, commiſſionis litteras poterit impetrare, quarum auctoritate in appellationis cauſa legitime procedatur, ita quod ſi appellans voluerit in cauſa ap. procedere, oportebit eum agere ſub judice ſic obtento, niſi poſſit legitime eum recuſare: quod ſi agere noluerit appellans, poteſt nihilominus proſequi cauſam ipſam, maxime ſi ſentiat ſibi ex dilatione imminere gravamen. Superior quoque judex, ſi viderit ex dilatione periculum imminere, poteſt, & debet neutro proſequente appellationem occurrere, ut periculum evitetur, puta ſi a ſententia lata ſuper confirmatione alicujus electi fuerit provocatum, & utraque pars velit etiam ad annum proſecutionem appellationis differre: poteſt utique, imo debet ſuperior judex, ad quem fuerat appellatum, terminum provide moderari, ne gregi dominico diu deſit cura *e* paſtoralis. Ex his igitur conſultationi veſtræ noveritis eſſe reſponſum, quia per poſteriores non derogatur prioribus legitime impetratis, per quas ad confirmandam ſententiam, vel infirmandam, prævia poteſt ratione procedi.

NOTÆ.

a *S. Felicis.*) Ita etiam legitur in 4. collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. Monaſterium hoc S. Felicis eſt Ordinis D. Benedicti, in Bonon. diœc. ut refert Tambur. *in ſerie Abbat. verbo Bonon.* De Eccleſia Bonon. nonnulla notavi *in c.* 2. *de offic. deleg.*

b *Appel. remedio.*) Ideſt appellatione remota, de cujus clauſulæ vi, & effectu egi *in c.* 1. *de reſcr.* & ſupra *in c. Paſtoralis.*

c *Biennium.*) Juxta adducta ſupra *in c.* 4. *hoc tit.*

d *Subreptæ.*) Juxta tradita *in c. ſuper, de reſcript.*

e *Cura paſtoralis.*) Probavi late *in c. ne pro defectu* 41. *de elect.*

COMMENTARIUM.

CUm inter Eccleſias de Sambro, & Rivo Cornicario cauſa verteretur coram judicibus delegatis, procurator Eccleſiæ de Rivo Cornicario appellavit nullo præfixo termino proſequendæ appellationis. Plebanus de Sambro litteras impetravit pro confirmatione ſententiæ in ejus favorem prolatæ: adverſarius vero alias litteras impetravit ad diverſos judices pro infirmanda ipſa ſententia. Conſultus Innocentius, an priores judices, poſterioreſve deberent de appellatione cognoſcere, reſpondit quod licet a jure detur appellanti annus, aut biennium ad proſequendam appellationem, *c. cum ſit Romana*, *c. conſtitutus*, *hoc tit. l.* 11. *l. ult.* §. *illud*, *C. de appel.* tamen quia terminus hic poteſt coarctari non ſolum a parte, verum a judice a quo appellatum eſt, *d. c. cum ſit Romana*, diſtinguendum eſt, ita ut ſi appellans, vel judex a quo certum diem præfixerit pro appellatione proſequenda, & eo tacito appellatus alias litteras impetraverit ad diverſos judices, ſimile reſcriptum quaſi obreptitium nullum ſit: ſi vero judex, vel appellans diem non præfixerit appellationi proſequendæ, appellatus intra tempus a jure conſtitutum poteſt petere alios judices, qui de appellatione cognoſcant.

CAPUT LVIII.

a Idem.

PER tuas a Nobis littteras requiſiſti, utrum ſi ſub alicujus examine poſt latam ſententiam, vel ſaltem poſt depoſitiones teſtium publicatas, & lectas fuerit ad Sed. Apoſt. appellatum, ii qui ſuper hoc delegantur a nobis, ſi altera partium eorum ſe voluerit conſpectibus præſentare, cauſam ſibi delegatam judiciali poſſint calculo terminare. Nos igitur conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum lis ſit ſuper eodem negotio coram primis judicibus legitime conteſtata, poterunt judices delegati, eo qui convenitur, ſe per contumaciam abſentante, cum eis de meritis cauſæ liquebit, commiſſum ſibi negotium definire.

NOTÆ.

a *IDem.*) Ita etiam legitur in 4. collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. nullibi tamen exprimitur Prælatus cui reſcribat Innocentius. Illud tamen in præſenti docet, quod ſi poſt ſententiam judicis, vel publicatas atteſtationes aliqua pars appellaverit ad Romanam Sedem, poteſt cauſa ipſa apud ipſum Pontificem, vel judicem, quem ipſe elegerit, abſente altera ex partibus per contumaciam, terminari, etiamſi lis in hac ſecunda appellationis inſtantia conteſtata non ſit; quod etiam docetur *in l. ult. ff. ad Treb. l. ult.* §. *illud*, *C. de tem. appel.* Ratio eſt, quia cum fuiſſet lis conteſtata apud priorem judicem, & apud ipſum proſequi poſſit, etiam apud ſuperiorem judicem diſceptari valet, propter contumaciam partis, *c. dudum*, *de elect.* ubi Gloſſa *verbo Corporali*: & jam probavi *in c. prout*, *de dolo & contum.* nam idem videtur judicium appellationis, ac prius judicium, *l. ita demum*, *C. de procur.* & conteſtatio in priori judicio facta prorogatur in judicio appellationis, ut docet Alteſerra in præſenti.

CAPUT LIX.

Idem *in Concilio* a *Lateran.*

UT debitus *b* honor deferatur judicibus, & litigatoribus *c* conſulatur ſuper laboribus, & expenſis, *d* ſtatuimus ut ſi quis coram *e* idoneo judice convenerit adverſarium, ille ante *f* ſententiam ad ſuperiorem judicem abſque rationabili cauſa non provocet, ſed coram illo ſuam juſtitiam proſequatur, non obſtante ſi dicat, quod ad ſuperiorem judicem nuntium deſtinaverat, aut litteras impetraverit ab eodem, prius quam delegato fuerint *g* aſſignatæ. Cum autem ex rationabili cauſa putaverit appellandum, coram eodem *h* judice cauſa probabili appellationis expoſita, tali videlicet, quod ſi foret probata deberet legitima reputari, ſuperior de appellatione cognoſcat; & ſi minus rationabiliter eum appellaſſe conſtiterit, illum ad inferiorem remittat, & in *i* expenſis alteri parti condemnet; alioquin ipſe procedet, ſalvis conſtitutionibus de majoribus k cauſis ad Sedem Ap. referendis.

NOTÆ.

a *LAteran.*) Generali videlicet celebrato ſub noſtro Innocentio III. *c.* 35. ut legitur in 4. collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. de quo Concilio nonnulla adduxi *in c.* 1. *de ſumma Trinit.*

b *Debitus honor.*) Qui a partibus judicibus debet deferri ante ſententiam ſine cauſa non appellando. Contumelia enim eſt ſine cauſa proprium judicem ſpernere, *l. litigatores* 11. *in princ. ff. de recept. arbitr.* & ideo hæc reſultat ex ſupervacua appellatione, ut inquit Imperator *in l. ult. in fine*, *c. quando provoc. non eſt neceſſe*, ibi: *Injuriam ex ſupervacua provocatione judicibus fieri providentes*. Ita ut ibi exiſtimaverit Accurſius injuriarum actionem judici competere adverſus illum, qui ab ejus ſententia injuſte provocaverit: quod & probat Maranta *de ordin. jud.* 6. *p. art.* 2. *n.* 328. Qua ratione Decius *n.* 1. exiſtimavit diſpoſitione noſtri capitis non tam judicibus honorem deferri, ut his verbis continetur, quam conſervari, ut melius loqui affirmat legem ultimam *C. quando provoc. non eſt neceſſe*, ibi: *Omnem honorem ſalvum judicibus reſervantes*. Quia noſtro capite potius ſtatuitur, ne fiat injuria judicibus ex ſupervacua appellatione, quam ut illis honor deferatur. Sed nihilominus negari non poteſt, quod dum judicibus honor conſervatur, defertur dum coguntur partes coram ipſis litigare; ex cauſa tamen provocare injuria non eſt, nam quis in appellatione de iniquitate ſententiæ queratur? *l.* 1. *in princ. hoc tit. l. perfecti* 17. *ff. de minor.* non tamen quando provocat, eo animo eſt, ut injuriam judici velit inferre, ſed magis ad auxilium convolare; & ideo ceſſat injuria, ut inquit lex *ut in majoribus* 20. *hoc tit.* quæ ſic intelligi debet, quamvis aliquando huic honori, & reverentiæ tribuatur, ne ab ejus ſententia provocetur, ut in Præfecto Prætorio, *l.* 1. §. 1. *ff. de offic. Præf. Prat. d. l. perfecti*. Ex quo etiam fluit ne liceat ei qui provocavit, judici convitiari, a quo appellat, ut extra ordinem plectatur, ſi provocet cum convitio, *l. illud* 8. *ff. hoc tit.* & notetur infamia, *l. judici* 42. *ff. de injur.* Paulus *l.* 5. *ſent. tit.* 4. §. 4. & *tit.* 35. §. *ult.* aliiſque pœnis legibus regiis afficiatur, de quibus *in l.* 16. *tit.* 23. *p.* 3. *l.* 5. *tit.* 15. *l.* 2. *fori*: quæ extat *in l.* 12. *tit.* 16. *l.* 3. *ordin.* & *in l.* 12. *tit.* 18 *l.* 4. *recop.* ubi obſervant omnes. Bart. *in d. l. illud*, Greg. Lopez *in d. l.* 16. *gloſ.* 1. Maranta 6. *p. actu* 2. *n.* 235. Paz *in praxi*, 6. *p. tom.* 1. *in proœm. n.* 45. P. Greg. *l.* 38. *ſyntag. c.* 3. quas illi imponere poteſt non tantum judex appellationis, ſed & judex a quo appellatur, quia injuria ſibi facta non obſtante appellatione, quaſi ex nova cauſa procedere poteſt, ut affirmat Angelus *in d. l. illud*, Bald. *in l. unic. n.* 2. *C. ne quis in ſua cauſa*, Avend. *de exeq.* 1. *p. c.* 1. *n.* 14. Hunc autem honorem deberi, deferendumque eſſe judicibus ordinariis exiſtimavit Hoſtienſis *in c. ut noſtrum*, *verbo Judicibus*; quod eſt in noſtro textu de ordinariis tantum intelligendum, non de delegatis: quod & probat Præpoſitus §. *nota ex textu*, ex illa ratione, quia ſi judicibus honor deferatur propter ſuam dignitatem, ut inquit Gloſſa 1. utique ordinariis tantum debetur, qui ſunt in dignitate potiſſimum; namque dignitatis inſigne eſt præeminentia cum juriſdictione, ut notant omnes cum Jo. Andrea *in c. de multa* 28. per textum *de prabend.* & *in c.* 1. *de conſuet. l.* 6. Innocent. *in c.* 3. *de offic. ordin.* Hoc autem habent judices ordinarii, quia jure proprio habent juriſdictionem, non ita judices delegati, qui non habent juriſdictionem jure ſuo, ſed alieno beneficio, *l. more*, 5. *l. & quia* 6. *ff. de juriſd.* Quod & probare intendit Præpoſitus *ex c. ſtatutum* 11. *de reſcr. l.* 6. nam ſi delegato Papa daret dignitatem, non recte illo ex capite conſtitueretur, quod Apoſtolicæ delegationes tantum fierent Canonicis, & perſonis exiſtentibus in dignitate, non aliis; quia eo ipſo quod fierent delegati, eſſent in dignitate conſtituti, & ſecundum hanc doctrinam conciliat Præpoſitus legem *cui muner.* 12. *ff. de muner. & honor.* cum lege ultima, §. *judicandi*, *eod. tit.* ut illa intelligatur de judicibus ordinariis, quorum officium ad honorem magis, quam ad onus ſpectare affirmant; hæc vero de judicibus delegatis, in quorum juriſdictione onus tantum, non honor conſiſtit. Quibus illa ratio addi poteſt, quod in delegatis ceſſare videtur ratio, qua nititur diſpoſitio noſtra. Primo ne ſubditi ſpernant proprium judicem, & ad alium eant; quia judex delegatus non eſt proprius judex, ſed ordinarius tantum. Ego non ita exiſtimo, quia honor non tantum debetur judicibus, quia ſunt in dignitate, ſed ratione juriſdictionis, quam habent, & eorum quæ adminiſtrant. Ad hoc autem nihil intereſt, an juriſdictionem habeant jure proprio, ut ordinarii; an alieno beneficio, ut eorum, quorum juriſdictionem ex ſupervacua appellatione non licet evitare; aliter enim litigatores vexarentur ſine cauſa laboribus & expenſis: ex quibus hæc verba noſtri capitis, tam in ordinariis, quam delegatis judicibus intelligenda eſſe judico.

c *Conſulatur.*) Eadem ratio ſimilis conſtitutionis exprimitur *in c.* 1. *in princ. hoc titul. in* 6. ibi: *Cordi nobis eſt lites minuere, & a laboribus relevare ſubjectos*. Quibus verbis continetur alia cauſa hujus novæ conſtitutionis, & ideo in illis etiam repetendam eſſe particulam *ut*, quam conſtat ſtare cauſative in principio capitis, ita ut legatur, *ut & litigatoribus conſulatur*, &c. recte affirmat Hoſtienſis ante numerum primum; negari enim non poteſt, quod hac conſtitutione litigatoribus conſulatur ſuper laboribus, & expenſis, dum præcipitur, ut coram ordinariis ſuis litigent, nec ſine cauſa, & de facili extra provinciam trahantur ad judicium appellationis, ut probatur ex Novella 80. *cap.* 1. ibi: „ Hoc autem ad utilitatem ſubjectorum ſtatuitur, ut non cogantur peregre pro defectu juſtitiæ extra ſuam Provinciam proficiſci. „ Quod in univerſum de omni cauſa ſtatuitur, *Novel.* 86. *c.* 1. 2. & 3. ſive perſonali, ſive criminali, quamvis in noſtro capite in fine majores cauſæ excipiantur. Nec tantum hac conſtitutione litigatoribus conſuletur, ſed etiam Epiſcopis judicibus, ut obſervare licet ex Novella 17. *c.* 2. ibi: „ Et non permittere ex negligentia de provincia alicujus Præſidis quemquam ad hanc currere feliciſſimam civitatem, & nobis moleſtum eſſe.; *juncto ibi*: Quod ſi non adierit ordinarium, ſed pro juſtitia ad Imperatorem venerit, remittet eum cum omni correctione, & reſponſum dabit. „ Hoc autem litigatoribus pro minimo damno denegatur, ut minori non datur in integrum reſtitutio, *l. ſcio* 4. *ff. de in integr. reſt.* Quare ex his verbis, & ratione merito deducunt Interpretes, quod ſuperiores tenentur, & debent partibus conſulere, ne vexentur litibus, & expenſis, quod & probat caput *finem litibus* 50. *de dolo & contum. l. quidam exiſtimarunt* 21. *in fine*, *ff. de rebus cred. l.* 1. §. *idem quæritur* 10. *ff. de novi oper. nunc. c. cum te conſulente* 18. *c. ſuper* 27. *in princ.* & §. *porro*, *in fine*, *de offic. deleg.* & conſtat ex proœmio Sexti: notant Gloſſa *in c.* 1. *hoc tit. l.* 6. & poſt Interpretes in dictis juribus, Hoſt. *in noſtro c. ante n.* 1. & ibi Antonius *n.* 4. Panormit. *n.* 1. Anchar. *n.* 3. adeo ut in his verbis affirmet Præpoſitus, quod ad hoc judices tenentur ex officio ſuo, alias non impleretur: quod probat *ex c. cauſam quæ* 9. *de judic.* junctis ibi notatis per Panormit. *in c. bonæ* 3. juncta Gloſſa 1. *de poſtul. Prælat.* & ex notatis per Bartolum *in l.* 4. §. *hoc autem judicium*, *ff. de damno infecto*. Ex qua doctrina colligit Anchar. quod poteſt judex quando extra domicilium litigantium de aliqua cauſa cognoſcit, ad totam cauſam partes citare, ut coram ipſo compareant, juxta terminos capitis *conſuleret* 24. *de offic. deleg.* idque ne pro quolibet articulo cum litigatorum laboribus, & expenſis oporteat in partes longinquam citationem deſtinare, argumento capitis ultimi *de reſcript.* Item quod poteſt judex, qui in abſentia cognoſcit, cauſam delegare, ne partes extra domicilium trahantur, *l. cum poſt ſententiam* 26. *C. hoc tit. c. anteriorem* 28. 2. *q.* 6. Hac etenim ratione nititur diſpoſitio capitis *nonnulli* 28. *in princ. de reſcript.* qua præcipitur, ne quis per litteras Apoſtolicas ultra duas dietas extra ſuam diœceſim ad judicium trahi poſſit, hodie non ultra unam, *c. ſtatutum* 11. *de reſcriptis lib.* 6. notat Addit. ad Hoſtienſem *ante n.* 1. *litt. A.* Item & alia conſtitutio, de qua *in d.* §. *nonnulli*, §. 1. & denique alia, de qua *in c. ut litigantes* 5. *de off. ordin. lib.* 6. Aliud etiam ex his verbis deducit Antonius *d. n.* 4. ſcilicet quod aliquando fortius ligat pars quam judex, de quo vide per eum.

d *Statuimus.*) Hoc eſt novum ſtatutum facimus, ut explicat Hoſtienſis *n.* 1. verbum namque ſtatuimus, jus novum conſtituere affirmarunt Gloſſa *verbo Statuimus in c. ut litigantes* 5. *de offic. ordin. lib.* 6. Gloſſa 1. *in c. ſtatuimus* 13. *de off. ordin. lib.* 6. ubi notant Duennas *n.* 6. Francus *n. ult. gloſſ. ult. in Clement. ult. de reſcr.* quamvis ex ſubjecta materia ita hoc verbum accipiendum ſit, ut modo jus novum importet, modo vero non, quemadmodum verbum *decernimus*, argumento capitis 2. *de judiciis*: exiſtimarunt ibi Panormitan. *n.* 19. Felinus *n.* 10. Decius *n. ult.* Mantica *n.* 46. Eſſe autem novam conſtitutionem noſtram, ultra Gloſſam *verb. Ante ſententiam*, in noſtro capite, poſt alios affirmarunt Hoſtienſis *n.* 1. Antonius *n.* 12. Cauſam autem novæ conſtitutionis ex eo fluxiſſe affirmat Hoſtienſis, quia olim ante hujus capitis conſtitutionem poterat quis ſpretis propriis judicibus ordinariis ex ſola voce appellationis ad remotos judices trahi: quod ſi evitare volebat, cogebatur ſe redimere: cui morbo mederi voluit conſtitutio noſtra, quemadmodum ex conſtitutione capitis *nonnulli* 28. *de reſcript.* quando enim antiqua jura, vel graviora ſunt, vel ſufficientia, novis debent conſtitutionibus immutari, *c. non debet*, *de conſang. & affin. quia* ut inquit caput *ceterum* 5. *de juram. calum.* novis morbis nova convenit antidota præparari, alioquin antiquis juribus ſtandum eſt, & abſtinendum a novis, *c.* 1. *de cler. peregr.* ne fruſtra membranas occupent, ut inquit caput ſi *Romanorum*, 19. *diſt.* imo ſi antiqua jura, quæ ſunt rationabilia, non ſerventur, ſunt merito renovanda, *c. innovamus*, *de tregua & pace*.

e *Coram idoneo.*) Ita legitur in quarta collectione, & in Concilio Lateran. ita: *Ut ubi quis coram idoneo judice*. Hæc verba ſic intelligit Gloſſa, ut ſignificent idem, atque coram ſuo judice, ſeu competenti: unde infert, quod ſi quis coram judice non ſuo conveniat adverſarium, ut ille compareat, allegans privilegium fori, & declinans juriſdictionem, ut debet, *l.* 2. *Dig. ſi in jus voc. l. ſi quis ex aliena* 5. *Dig. de jud.* quod non præjudicat ei, quod facit coram eo, hoc eſt, nihil ei præjudicant geſta coram eo, quia ſunt nulla: quod probat ex *c. at ſi clerici* 4. *de judic. c. ſi delegati* 12. *c. ſignificaſti* 18. *de foro compet.* quod ſic explicat Præpoſitus, ſcilicet quod quis a tali judice gravatus non habet appellare neceſſe, quia gravamen non tenet, & nullum eſt: hæc ita, ſi pars coram eo judice compareat allegans fori privilegium: quod ſi non faciat, tunc affirmat Præpoſitus, quod ſi ſit talis judex, ejus juriſdictio nec expreſſe poteſt, nec tacite prorogari, quia tunc etiam non valent geſta ab eo, nec appellare oportebit, *ut in dict. c. at ſi clerici*, *dict. c. ſi diligenti*, *d. c. ſignificaſti*. Quod ſi ejus poſſit juriſdictio prorogari, tunc ſi pars non comparet, quia judex procedendo in cauſa videtur ſe judicem pronuntiare, induceretur tacita prorogatio, ex quo pars non contradiceret, ut affirmant Bart. *in l.* 1. *ff. de jud.* & ibi late Barboſa, Innoc. *in c. ad petitionem*, *de accuſ.* Panormit. *in d. c. ſignificaſti*: cum de neceſſitate pars debebit provocare, argumento capitis *cum olim* 32. *c. ſignificantibus* 38. *de off. deleg.* & doctrina Gloſſæ ultimæ *in fine*, *in auth. habita*, *C. ne fil. pro patre*: quam probant Bartolus *in d. l.* 2. & Præpoſ. *in noſtro c.* Duennas *reg.* 52. Zambrana *deciſ.* 159. Valaſc. *conſult.* 47. Rebuffus *ad leges Gal.* 1. *tom. de ſent. excom. art.* 10. *gloſſ.* 1. Barboſa *in d. l. ſi quis ex aliena*, *ex n.* 89.

f *Ante ſententiam.*) Hoc eſt ante definitivam ſententiam, non quia ſententiæ nomine ſimpliciter, & abſolute definitiva tantum ſignificatur, *l. quod juſſit* 14. *ff. de re jud. l. qualem* 19. §. *dicere*, *verſ. Unde*, *ff. de recep. arbit.* Unde recte deducit Gloſſa *in noſtro c. verbo Ante ſententiam*, *in princ.* quod de appellatione poſt ſententiam, hoc eſt poſt definitivam ſententiam, nihil ſtatuitur *in hoc c.* ſed tantum dicitur locutoria, vel gravamen auferens, a quibus appellatur ante definitivam ſententiam: quod probat ex regula capitis *qualis* 4. 25. *diſt. c. nomine* 5. *de præſump.* quod clarius exprimitur *in c.* 1. *hoc tit. lib.* 6. ibi: *Super interlo-*

terlocutoria, vel gravamine aliquo. Quæ verba recte explicant verbum *Ante ſententiam*, quod eſt in noſtro capite.

6 g *Fuerint aſſignata*.) Varia adduxerunt Gloſſa, & Panormit. *in præſenti*, pro expoſitione illorum verborum: ſed vera interpretatio in promptu eſt, ſi obſervemus, Patres in præſenti agere de eo, qui cauſam fruſtrari nitebatur eo obtentu, quod diceret libellum jam ſupplicationis ſuperiori judici datum, & jam reſcriptum eſſe in foribus, & litteras expeditas, & quidem ante reſcriptum adverſarii, ſed nondum ſibi tranſmiſſas; quod innuit Innocentius illis verbis: *Non obſtante ſi dicat*: Utebatur enim eo prætextu, ſed injuſte, cum ei patrocinari non debebat, ne protraheretur lis, ex aſſertione tantum ipſius, cui fides adhibenda non erat, cum & judex debito honore fraudari, & pars laboribus, & ſumptibus vexari poſſet. Qua admiſſa interpretatione mire convenit quod docet Macer Juriſconſultus *in l. 4. ff. de appel.* ibi: „ Ejus „ qui ideo cauſam agere fruſtratur, quod dicit ſe libellum „ Principi dediſſe, & ſacrum reſcriptum expectare, audiri „ deſiderium prohibetur: & ſi ob eam cauſam provocaverit, „ appellatio ejus recipi ſacris conſtitutionibus vetatur. „ Docuit Mancinus *genial. 3. pag. 255.*

7 h *Coram eodem judice*.) Hoc noviter conſtituit Innocentius in præſenti, videlicet ut ſi juſta, & probabilis fuerat appellationis cauſa, appellans coram judice a quo proponat, probet autem apud alios: & judicem ad quem debere temere appellantem, ideſt ſine juſta, & probabili cauſa, remittere ad judicem a quo, qui per hujuſmodi appellationem judex eſſe non deſinit. Cum enim frivole appellatum eſt, ſuperior judex de appellatione cognoſcens cauſam debet remittere ad inferiorem, *c. cum appellationibus 5. hoc tit. in 6.* frivola autem appellatio dicitur, quando ab interlocutoria interponitur abſque ullius cauſæ expreſſione, vel ſine ſcriptura, aut ſcripta quidem cauſa, non tamen probabili, ſed falſa prorſus, aut inepta, *c. 1. hoc tit. in 6.* ſic enim appellatio interpoſita injuſta dicitur, & non illi indulgetur. Lancellotus *de appel. c. 12. lim. 6. n. 5.*

8 i *In expenſis*.) Inter alias pœnas, quibus afficitur ille, qui injuſte provocavit, præcipua eſt condemnatio in expenſis, & jure civili ſumptus pendebat in quadruplum. Paulus *lib. 5. ſent. tit. ult.* ibi: „ Omni modo probandum eſt, ut quo„ tiens injuſta appellatio pronuntiatur, ſumptus quos dum „ ſequeretur adverſarius, impendit, reddere cogatur, non „ ſimplos, ſed quadruplos. „ Quod abrogatum videtur per legem 3. *Cod. de fructib. & litium expenſ.* Ratio hujus pœnæ in promptu eſt, nam temere litigantes ab eodem judice, coram quo victi fuerunt, condemnatur in expenſis, *l. eum quem 79. ff. de judic. c. calumniam, de pœnis, c. finem, de dolo, & contum.* Plura Pichardus *in princ. Inſtit. de pœna temere litig.* Ideo qui temere provocavit, & per conſequens coram judice ſuperiore ſuccubuit, ab eodem juſte condemnatur in expenſis.

9 k *Majoribus cauſis*.) Quarum cognitio reſervata eſt Sedi Apoſtolicæ, *can. multis, 16. diſt. can. ideo, can. qui ſe ſcit, 11. q. 6.* ut poſtulatio, & tranſlatio Epiſcoporum, *c. bonæ memoriæ 1. & 11. de poſtul. Prælat. c. 1. c. inter corporalia, de transl.* depoſitio, & reſtitutio eorumdem, *d. can. quamvis 3. q. 6.* erectio, & tranſlatio Sedium Epiſcopalium, *c. 1. ne Sede vacante, can. temporis qualitas 8. q. 1.* Bernard. Clarevall. *epiſt. 131. ad Mediol.* (Romana Eccleſia valde clemens eſt, ſed nihilominus potens plenitudo; ſiquidem poteſtatis ſupra univerſas orbis Eccleſias ſingularis prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt: poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit, ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e converſo, ſi neceſſe viſum fuerit.) Diviſio & unio Epiſcopatuum. *c. quod tranſlationem*, & ibi Gloſſa, *de offic. Legat. cap. ſicut unire, de exceſſ. Prælat.* exemptio Epiſcoporum a juriſdictione Metropolitani, *can. frater noſter 16. q. 1.* notavi *in c. majores, de Baptiſmo.*

COMMENTARIUM.

10 *Concluſio traditur.* Ex hac Concilii Lateranenſis conſtitutione ſequens communiter deducitur diſputanda aſſertio: „ Appellans a ſen„ tentia interlocutoria debet exprimere cauſam gravaminis. „ Probant eam textus *in c. Capitulum, c. conſtitutus, c. Dilectus, c. Significante, de reſcriptis, c. final. de except. c. final. hoc titulo c. Pro illorum, c. Dilectus, de præb. c. Propoſuit, de conceſſ. præb. cap. 1. cap. 3. hoc tit. in 6. Clement. 5. hoc tit.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, & Balboa, Narbona *in l. 59. gloſſ. 1. tit. quarto, lib. ſecundo recopil.* Mancinus *genial. c. 255.* Pichardus *in manual. 4. par. præc. 11.* Salgado *de protect. 2. par. c. 1.* Alteſſerra *in præſenti.*

11 *Impugnatur aſſertio.* Sed hæc concluſio difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; nam vel ille, qui provocavit, ipſo die prolatæ ſententiæ apud acta appellavit, vel ex intervallo: neutro caſu neceſſaria eſt cauſæ expreſſio: igitur neceſſe non eſt cauſam exprimere in ipſa appellatione. Probatur minor quoad primam partem, cum appellatio videlicet ſtatim apud acta interponitur, *ex l. 2. l. a ſententia 5. l. litigatoribus 14. Cod. de appel. c. ei qui, 2. quæſt. 6.* Gloſſa *verbo Injuſta, in c. cum in Eccleſia 38. hoc tit.* docent Maranta *in ſpeculo, c. de appel. n. 136.* Paz *in praxi, tom. 1. c. 6. in proœm.* Quoad ſecundam vero partem, cum appellatur ex poſt facto, idem probatur *ex l. eos 6. §. ſin autem, C. eod. tit.* quod procedit præcipue jure noſtro Canonico, quo attento æqualiter appellari poteſt a ſententia definitiva, ac ab interlocutoria, *c. cum ſit 5. §. intra, c. pervenit 28. hoc tit.* Augetur hæc difficultas ex eo, nam non minus vera, & propria eſt appellatio, quæ tacite interponitur, quam quæ expreſſe concipitur: ſed cum tacite appellatur, veluti per itineris arreptionem, nulla cauſa exprimitur, *c. dilecti 62. verſ. Cum autem, hoc tit.* ergo non deſideratur cauſæ expreſſio ad appellationem legitime interponendam.

Qua dubitandi ratione ita fulcita minime obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, circa cauſæ expreſſionem a ſententiis interlocutoriis tria tempora eſſe diſtinguenda. Primum fuit tempus antiquum, in quo ſicut in appellatione a definitiva, ita ab interlocutoria nullius cauſæ expreſſio neceſſaria erat, *c. omnis 2. q. 6. c. cum ſit 5. verſ. Si vero, c. ſuper eo 12. verſ. Sacri, hoc tit.* ad quod tempus referendi ſunt textus *in c. Ad audientiam, hoc tit. c. Cum cauſa, de offic. delegat. c. Audita, de reſtit. ſpol. c. cum olim, de dolo.* 12 *De appellatione ab interlocutoria.* Secundo tempus fuit Innocentii III. qui nove conſtituit, non ita indiſtincte ab interlocutoria appellandum eſſe, ac a definitiva, ſed neceſſario exprimendam eſſe cauſam in appellatione ab interlocutoria, *c. cum ſpeciali 61. §. porro, hoc tit.* Nec tunc obſtat textus *in c. non ita, verſ. in Eccleſiis, 2. q. 6. c. cum in Eccleſia 39. hoc tit.* ubi refertur ante Innocentium III. neceſſarium fuiſſe cauſam exprimere in ipſa appellatione. Nam reſpondetur, omiſſo Archidiacono, qui in dicto capite non ita, exiſtimavit omni tempore neceſſariam fuiſſe cauſæ expreſſionem, dicendo in *dicto capite non ita*, verba illa, *de cauſa*, nequaquam referri ad appellationem, ſed continere adverſativam præcedentem, de qua textus egerat in hunc ſenſum, ut quamvis in negotiis ſæcularibus non liceat ei, qui jam litigare cœpit, ante peractam cauſam recedere, *authent. qui ſemel, C. quomodo, & quando*, in Eccleſiaſticis tamen dicta cauſa recedere liceat, ſi neceſſe fuerit, aut ſe viderit prægravari. Similiter etiam in textu in dicto *capite cum in Eccleſia*, non agitur de expreſſione cauſæ, ſed de clericis, qui injuſte, & frivole ſolebant recedere a proprio Epiſcopo prætextu appellationis: quo caſu non ait Clemens, cauſam exprimendam eſſe coram judice a quo, ſed ſolum inſtruit judicem ad quem, ne appellationem admittat cum effectu, niſi prius ſibi conſtet, eam vel a gravamine, vel ab injuſta condemnatione fuiſſe interpoſitam, ut docet ibi Abbas *n. 5.* contra Gloſſam 2. & Innocent. *ibidem*, qui minus recte exiſtimarunt, jam Clementis III. tempore illius textus neceſſariam jam fuiſſe expreſſionem cauſæ probabilis. Tertium tandem tempus fuit Innocentii IV. relati *in c. 1. hoc tit. lib. 6.* ubi noviter ſtatuit, quod ſi quis ab interlocutoria ad Sedem Apoſtolicam appellaverit, cauſam in ſcriptis exprimere teneatur: cujus novæ conſtitutionis duplicem reddunt rationem Bart. *in l. ejus qui, n. 4. ff. hoc tit.* Gloſſa *verbo Vadat, in c. ab eo 6. hoc tit. in 6.* Prima, ut judex, cui ſcriptura porrigitur, melius, ac maturius deliberare valeat, utrum parti gravamen intulerit, necne. Ea enim quæ in ſcriptis retinentur, multo magis præmeditari ſolent, quam quæ ſola voce dilabuntur, argumento authenticæ *offeratur, C. de litis conteſt. l. 2. C. de ſentent. ex peric. c. ult. de re jud. lib. 6.* Maranta *in ſpeculo, 6. p. c. de ſententia, n. 12.* Secunda ratio eſt, ut ſic facilius, certiuſque conſtare poſſit de cauſa, & tollatur appellantibus occaſio variandi, exprimendo modo unam, modo alteram cauſam, argumento *legis contrahitur 4. §. hypothecæ, verſ. fiunt enim de his ſcripturæ, ff. de pignor. cap. quoniam in part. 11. de probat.* Unde Innocentius IV. his motus rationibus *in dict. cap. 1.* ſcripturam exigit in ipſa cauſæ expreſſione, ut ita lites celerius terminentur, & ſumptibus, atque impenſis litigantium conſulatur. Nec obſtabit dicere Innocentium celeritatem litium non curare, dum ſcripturam exigit; ſiquidem facilius lis expediretur, ſi viva voce cauſa exprimeretur, quam ſi in ſcriptis cum temporis diſpendio redigatur. Accedit etiam, *quod in cap. ut circa 4. cap. quamvis 10. de elect. lib. 6.* docetur, videlicet in cauſis electionum, poſtulationum, & ſimilium, ſpecialiter deſiderari, quod appelletur in ſcriptis ex cauſa probabili: quaſi a contrario deducatur, in aliis cauſis neceſſarium non eſſe cauſam exprimere in ſcriptis. Nam reſpondetur quod dum cauſa in ſcriptis ab Innocentio poſtulatur, magna ex parte repelluntur frivolæ appellationes cauſam non habentes, ac proinde occaſio aufertur differendi lites, in quo ſatis conſulitur partium laboribus, & expenſis: & in hunc ſenſum accipienda eſt ratio Innocentii IV. Ad textus vero *in d. c. Ut circa, c. quamvis*, reſpondetur eorum ſpecialitatem conſiſtere in eo, quod appelletur in publico inſtrumento præſtito corporali juramento, & quod appellatio ipſa offeratur in ſcriptis. Deinde jura illa in ſuis caſibus procedere non ſolum quando ab interlocutoria, verum & quando a definitiva appellatur. Manet ergo conſtitutione Innocentii IV. illud amplius exigi in appellante, & addi præſenti deciſioni, videlicet ut cauſa probabilis, quæ ex hoc textu deſiderabatur in ſcriptis, in judicio proponatur.

13 *Explicatur c. 1. hoc tit. in 6.* Notandum tamen eſt, quod quamvis illa conſtitutio tantum loquatur de appellatione, quæ interponitur ad Rom. Pontificem, ut patet ex illis verbis. *Ad nos duxerit appellandum*: tamen æque procedunt in appellatione facta ad quemcumque legitimum ſuperiorem, ut notat Gloſſa, *ibi*, verbo *Ad nos*, quam ſequuntur Dominic. *n. 15.* Francus *n. 9.* Did. *de appel. n. 6.* Grabacia *ad Octavianum lib. 7. c. 3. n. 96.* Navarrus *conſil. 2. ſub hoc tit. n. 1.* Paz *in praxi, tom. 1. part. 6. in proœm. n. 33.* pro qua ſententia expenditur verbum *Superioris*, quod eſt in illo capite, quod non tantum Romanum Pontificem, ſed & alios Prælatos comprehendit, per quod debent priora verba declarari, ex regula legis *Talis ſcriptura 30. ff. de legat. 1.* item & illud, quia conſtitutio circa cauſam appellationis noſtra conſtitutione inno-

vatur, ut conſtitutio noſtra loquatur de appellatione ab interlocutoria, quæ ad quemcumque ſuperiorem interponitur: & denique quia omnes rationes, quibus nititur illa conſtitutio, æque locum habent in appellatione, quæ interponitur ad Romanum Pontificem, atque in illa, quæ fit ad quemcumque ſuperiorem; & ideo ex identitate rationis conſtitutio illa ad alios ſuperiores debet extendi ex regula legis *non poſſunt 11. ff. de legibus*, junctis Menoch. *de arbitr. in proœm. n. 4.* Gomez *l. 1. Tauri, n. 1.* At contrarium exiſtimavit Hoſtienſis, quem referunt Gloſſa verbo *Ad nos*, Dominic. *n. 25.* Archid. *in c. ult. n. 6. 3. quæſt. 5.* ſcilicet, quod illa conſtitutio tantum locum habet in appellatione ab interlocutoria, vel a gravamine, quæ ad Romanum Pontificem interponitur; non illa, quæ ad alium legitimum ſuperiorem, eo quod diſpoſitio illa eſt exorbitans a regula juris antiqui, ex doctrina Alciati *in l. 2. n. 46. ff. de verb. ſignific.* Tiraq. *in l. ſi unquam, verbo Libertis, n. 19.* Gambari *de extenſ. legis, n. 46.* & ideo ex ratione identitatis non debet extendi, *l. quod vero 13. ff. de legibus, regul. Quæ exorbitant 28. de regul. juris in 6.* ut tantum textus *in d. c. 1.* in Romano Pontif. locum habeat, non ita in inferioribus Prælatis. Ex quibus rationibus non deſunt qui exiſtiment, veriorem eſſe hanc Hoſtienſis ſententiam. Nobis placet, quod quamvis textus *in d. c. 1.* loquatur tantum in Romano Pontifice, attamen quoad cauſam appellationis in ſcriptis exprimendam recte poſſit ad alium quemcumque ſuperiorem extendi, quamvis quoad alia, in quibus contraria adeſt juris diſpoſitio, extendi nequeat ad alios ſuperiores, ut *in d. verſ. Poſt hoc.*

14 *In appellatione definitiva cauſa non deſideratur.* Secundo ſciendum eſt, in appellatione a ſententia definitiva interpoſita non deſiderari cauſæ expreſſionem, ſed ſufficere ſimpliciter appellare: quo caſu exaudiendi ſunt textus *in c. ad reprimendum, de offic. ordin. c. cum ſi 22. de re judic. c. conſtitutus 46. c. dilecti, hoc tit.* cujus differentiæ rationes varias aſſignarunt Interpretes. Gloſſa *in c. cum cauſam 62. hoc tit.* Præpoſitus *in præſenti, n. 41. & 42.* exiſtimarunt, rationem diſcriminis provenire ex eo, quia appellatio ab interlocutoria juſtificari non poteſt, neque impugnari ex cauſis novis, aut de novo probandis, quia appellanti non licet alias cauſas proſequi, quam nominatim expreſſas, *Clement. appellantis 3. hoc titul.* appellatio vero a definitiva ex quibuſcumque cauſis vel novis, vel antiquis, vel de novo probandis juſtificari poteſt, ita ut communis parœmia ſit, in ſecunda inſtantia licere non allegata allegare, & non probata probare, *l. 3. ad fin. ff. hoc tit. l. per hanc 4. C. de tempor. appel. c. fraternitatis 17. de teſtib.* unde aſſerunt, in appellatione ab interlocutoria neceſſarium eſſe cauſam exprimere, minime vero in appellatione a definitiva. Sed certe hæc ratio longe diſtat ab ea, quam affert Innocentius in præſenti, in illis verbis: „ Ut debitus „ honor judicibus deferatur, & litigatoribus conſulatur. „ Et ab ea, quam ipſe expendit *in c. cum ſpeciali 61. §. porro*, ibi: „ Ne frivolæ appellationis diffugio appellans judicii proceſ„ ſum impediat. „ Unde diverſa ratio non eſt petenda ab ea, quam Innocentius expreſſit, videlicet ut debitus honor deferatur judici, pro quo ſemper præſumitur; & ideo ab eo appellari non poteſt, dum definitive non pronuntiat, niſi expreſſa probabili cauſa, *c. in præſentia, de renunc.* junctis traditis a Covar. *in regul. peccatum, 1. p. §. 1. n. 5.* & *de ſponſ. 2. par. c. 6. §. 9. n. 9.* Gamma *deciſ. 37. n. 1.* & inſuper, ut litigatoribus conſulatur ſuper laboribus, & impenſis, dum non libere, & abſolute conceditur eidem facultas appellandi ab interlocutoriis, non expreſſa cauſa probabili.

15 *Cauſa debet eſſe probabilis.* Tertio ſciendum eſt, in appellatione ab interlocutoria cauſam expreſſam debere eſſe rationabilem. Cauſa rationabilis, quæ mox probabilis dicitur, juxta aliquorum ſententiam illa eſt, quæ continet verum gravamen, ut rationabilis, ſeu probabilis cauſa idem importet, atque vera: quod probant *ex c. interpoſita 70. in princ.* ibi: *Doceant eſſe veram*: *hoc tit.* Item ex eo, quia rationabilis cauſa dicitur, quæ rationi conſentanea eſt, & ſic quæ concludit verum gravamen a parte rei, quando falſum rationabile dici nequit, ut ſignificare videtur Gloſſa *verbo Probabili, in cap. quamvis 10. de elect. lib. 6.* & *in c. 10.* ibi: „ Rationabiliter objectum fuerit, & oſtenſum, „ de his, quæ fiunt a majori parte, juncta doctrina Gloſſæ *verbo Legitimum, in c. licet 14. de ſent. excommun. lib. 6.* ita Panormitanus *in d. c. interpoſita, n. 7.* & ibi Immola *n. 3.* ſed non recte, quia cauſa rationabilis non ſemper probabilis recte dici poteſt, quæ vera eſt, ſed quæ talis apparet, ſeu ut inquit noſter textus, quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari. Interim tantum dum non probatur, probabilis dicitur, ſeu veriſimilis, *c. bona 51. in fine*, ibi: *Ex veriſimilibus, & probabilibus cauſis, hoc tit.* ubi recte notat Gloſſa ultima *in dict. cap. bona 51.* Nec aliud ſuadet dictum caput interpoſitæ, imo magis probat id, quod contendimus; nam quamvis ad juſtificandam appellationem apud judicem ad quem requiratur, quod cauſa appellationis doceatur, ſufficit quod talis appareat juſta, quod & rectiſſime ſtare poteſt; & falſum interim, dum non probatur, nec de illo conſtat notorie poſſit probabile dici, & rationabile, quia ut tale interim dum contrarium notorie non conſtat, poteſt apparere. Nec alii felicius affirmarunt, cauſam probabilem, ſive rationabilem, dici quæ evidens eſt, & evidenter apparet, prout exiſtimarunt Gloſſa *in c. non ita, in fine*, Gloſſa 1. *in c. Romanam 1. verſ. Hodie, 2. quæſt. 6.* Gloſſa 2. *in c. 1. de reſtit. ſpol.* namque gravamen evidens, & manifeſtum ſententiam reddit nullius momenti, *cap. inter cetera 19. de ſent. & re jud.* Panorm. *in c. 1. n. 6. illo tit.* Berojus *in c. 1. num. 221.* & *in c. cum omnes, n. 20. de conſtit.* Maranta *de ſent. n. 116.* Covarruv. 1. *var. c. 1. n. 9. verſ. ult.* & *pract. c. 25. n. 2.* & ideo appellatio ab illa non eſt neceſſaria, *l. 2. Cod. quando provoc. c. 1. de ſent. & re jud.* unde non oportebat in hoc capite appellandi formam tanta conſideratione præſcribi. Deinde quia quando cauſa gravaminis evidens eſt, ſatis cenſetur probata, *c. ult. de cohabit. cleric.* Covarr. *3. var. c. 3. n. 4.* & *in Clem. ſi furioſus, 1. p. §. 1. n. 5.* Unde non oportebat adjicere illa verba, *Quæ ſi probata forte*, &c. & denique hæc ſententia convincitur *ex c. cum ſpeciali 61. §. porro, hoc titul.* Eſt enim cauſa rationabilis, ſeu probabilis, ut inquit Innoc. *hic, n. 4.* cauſa juſta, ſeu ut inquit noſter textus, talis quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari: quæ verba referuntur *in c. cum ſpeciali 61. §. porro, hoc tit. c. quamvis 19. de elect. lib. 6.* Quærit Gloſſa *verbo rationabili*, an hæc committatur judicis arbitrio, vel aliorum: & affirmat judicis arbitrio committi, habita collatione prudentum; & docet, ut in dubio judex deferat appellationi: quam ſequuntur Anton. *n. 29.* optime Panormit. *n. 27.* Decius *ex n. 25.* Ancharanus, *n. 14.* Præpoſ. & Henriq. *ſuper ead. Gloſſ. n. 29.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæſt. 23.* Fachin. *controv. lib. 1. c. 80.*

Deinde ſciendum eſt, cauſam ipſam probabilem exprimendam eſſe nominatim, & ſpecifice, ita ut non ſufficiat illam in genere, vel in confuſo exprimere; tum ut judex a quo facilius, & maturius deliberare poſſit, utrum gravamen intulerit, vel juſte judicaverit; tum ne appellanti maneat facultas exprimendi modo unam cauſam, modo aliam. *Clement. appellanti 5. hoc tit.* ibi, *Nominatim dumtaxat*; juncta regula legis 1. *ff. de lib. & poſthum.* docent Gloſſa. & Card. *n. 6.* Dominicus *n. 7.* Francus *n. 8. in d. c. 1. hoc tit.* juxta quos non ſufficit dicere, Appello ex cauſis ſuo loco, & tempore referendis, vel appello ab interlocutoria iniqua, ut patet ex actis, vel per relationem ad acta. Licet autem Dominicus, & Francus, quos ſequuntur Maranta *in ſpeculo, tit. de appel. n. 156.* Octavianus *de ſtylo Curiæ, lib. 3. c. 10. n. 3.* diſtinguendum putent inter iniquitatem interlocutoriæ, quæ conſtat in actis ex juris allegatione abſque ulla facti probatione, ut tunc ſufficiat appellare ſine expreſſione cauſæ, ſola facta relatione ad acta; & inter iniquitatem, quæ non oſtenditur ex juris allegatione, ſed facti prohibitionem requirit, ut tunc neceſſe ſit cauſam exprimere; contrarium tamen tenendum eſt, quia neutra parte ipſius diſtinctionis exprimitur cauſa nominatim, & ſpecifice, prout requiritur; ſed ſolum exprimitur generaliter, & in confuſo. Illud tamen ſumme notandum eſt, quod ſi apponantur plures cauſæ, ſufficit unam probare, *c. ſignificavit, hoc tit. leg. ex conſenſu 23. §. 1. ff. hoc tit.* tunc dubium, & non leve inſurgit, utrum ſufficiat cauſam expediri: & dicendum eſt cum Balbo *in leg. minoribus, n. 5. C. de his quibus ut indign.* quem ſequuntur Covarruv. *in c. cum tibi, n. 5. de teſtam.* Velaſco *de jure emphyteut. q. 11. n. 5.* ſufficere: nam nominatim cenſetur expreſſum id, quod ſigno aliquo inevitabili demonſtratur, *l. quotiens 9. §. ſi quis nomen, l. nemo dubitat 58. ff. de hered. inſtit.* Coſta *lib. 1. ſelect. c. 3.* Gomez 1. *tom. var. c. 2. n. 6.* Quamvis Decius *in c. conſuluit, n. 2. hoc tit.* contrarium teneat, cui non favet commune illud principium, videlicet quando a lege aliquid pro forma requiritur, illud ſpecifice adimplendum eſſe, non vero per æquipollens, *argumento legis qui heredi 44. leg. Mevius 54. ff. de condit. & demonſtr. l. Julianus 9. §. ſi quis rem, ff. ad exhib.* Nam reſpondetur, quod quando cauſa exprimitur per relationem ad certam partem actorum, non per æquipollens, ſed ſpecifice, ac nominatim exprimitur, ut jura ſupra expenſa probant: etiam in terminis, quando expreſſa nominatio a lege pro forma requiritur, ſufficit etiam, quod cauſa probabilis intra decem dies præſcriptos a jure ad appellandum exprimatur, quamvis tempore interpoſitæ appellationis omiſſa fuiſſet, *argumento legis ſi quis libellos 28. Cod. hoc titul. leg. accuſaturus 33. ff. de adult.* docent Maranta *in ſpecie tit. de cap. num. 134.* Nec obſtat, quod pro forma deſideratur cauſæ expreſſio in ipſa appellatione ab interlocutoria, & ita videbatur ſimul cum ipſa appellatione cauſam eſſe exprimendam. Nam reſpondetur, ſufficienter ſatisfactum videri, ſi intra decem dies cauſa exprimatur, cum intra tempus appellationis omnia ejus requiſita neceſſaria concurrant. Amplius etſi gravamen notorium ſit, adhuc ejus cauſa in appellatione exprimenda eſt, quia licet notorium relevet ab onere probandi, ex eo quod probatio eſt rei dubiæ oſtenſio, quæ in notoriis non requiritur, ut vulgo docetur; non tamen relevat ab onere probandi. Gloſſa *verbo Alia, in d. Clem. appellanti*, Maranta *ubi proxime, n. 154.* quamvis contrarium teneant Octavianus, *lib. 3. de ſtylo Curiæ, c. 10. n. 3.* cui non ſuffragatur textus *in c. 2. verſ. Ex his, ut lite non conteſt.* Pontifex ex eo quod cauſa gravaminis erat notoria, quamvis non exprimeretur, infert Plebanum legitime appellaſſe, quaſi opus non ſit cauſam notoriam allegare. Omiſſo enim Hoſtienſi *ibidem*, placet ſecunda Gloſſæ ſententia in eo textu, quam ſequitur Abbas ibi, *n. 12.* dum docet, in ſpecie ſupponendum eſſe cauſam expreſſam fuiſſe; cum enim alia principalis quæſtio in eo textu diſceptaretur, omiſſum fuit cauſam gravaminis notorii expreſſam fuiſſe; quia cum referatur rite appellatum fuiſſe, ſupponendi ſunt termini habiles. Sed ſi allegetur cauſa ipſa notoria, non ideo probanda eſt, ex ratione ſupra expenſa: quo modo intelligendi ſunt textus *in c. cum olim, cap. cum cauſa 22. de offic. deleg.*

Supradicta enim procedunt in appellatione extrajudiciali, in qua cauſa gravaminis exprimenda eſt, *cap. bona 51. ibi: Ex veriſimilibus, & probabilibus cauſis, de elect. cap. 1.* ibi; *In judicio, vel extra, hoc titul. lib. 6.* in qua appellatione extra- 17 *De appellatione extrajudiciali.*
judi-

judiciali loquitur textus *in cap. coram, cap. non ſolum, hoc tit. in 6. cap. olim 7. cap. dilecti, cap. dilecta, de excep. cap. 2. & 3. ut lite non conteſt. cap. veniens, el 2. cap. ſignificaverunt, de teſtib. cap. fin. de præſump. cap. conſtitutus, hoc tit. cap. cum inter, de elect. c. accepimus, de ætat. & qualit. cap. exhibita 7. de judic. cap. ult. de dolo lib. 6. cap. cum cauſa, de offic. deleg. cap. audita, de reſtit. ſpol. cap. cum veniſſet, de eo qui mittitur in poſſeſſ. cap.* 1. *de his quæ fiunt a major.* Nec obſtat, quod textus *in d. c.* 1. *hoc tit. in* 6. accipi non poſſit de appellatione extrajudiciali, ex illis verbis, *Petat apoſtolos*; quæ verificari nequeunt, niſi in appellatione judiciali, in qua acta ſcribuntur. Item, quod in *c. cum ſit, hoc titul.* dum mentio fit appellationis extrajudicialis, nulla cauſa exprimitur. Nam omiſſa diſtinctione Abbatis in eodem textu, *num.* 20. quem reprehendit Decius ibi, *num.* 28. dicendum eſt in *dicto cap.* 1. agi de appellatione judiciali, & extrajudiciali; unde verba, *Petat apoſtolos*, referenda ſunt ad appellationem judicialem. Textus etiam *in dict. cap. cum ſit* 5. referendus eſt ad ea tempora, quando nulla cauſæ expreſſio deſiderabatur, tam in appellatione judiciali, quam extrajudiciali.

18 *Traditur ratio decidendi.* Si rationem quæras, quare cum non requiratur expreſſio cauſæ rationabilis in appellatione a ſententia difinitiva, requiratur tamen ex noſtra conſtitutione in appellatione interlocutoria: Gloſſa ultima *in c. cum cauſa* 62. *hoc tit.* & *in c. cum appellationibus* 5. *hoc tit. lib.* 6. Bart. *in leg. ait Prætor, n.* 2. *ff. de minor.* Prætor in noſtro *cap. n.* 42. exiſtimarunt rationem ex eo provenire, quia appellatio ab interlocutoria non poteſt ex novis cauſis juſtificari, *Clem. appellanti* 5. *hoc tit.* Bart. in *l. ejus qui, n.* 8. *ff. de appel. recip.* appellatio vero a definitiva poteſt, *l.* 3. *§. ult. ff. hoc tit. l.* 4. *C. de tempor. appel. c. fraternitatis* 17. *de teſtib.* Bart. *d. n.* 8. Federic. *de appel. n.* 35. Duennas *regul.* 47. Maranta *de ord. judic.* 6. *p. c. de appel. n.* 153. & 240. Gamma *deciſ.* 149. *n.* 1. Paz *in praxi, tom.* 1. *p.* 6. *in proœm. n.* 48. & ideo merito in appellatione ab interlocutoria neceſſaria eſt cauſæ expreſſio, non ita vero in appellatione a ſententia definitiva. Anton. *in cap. ex parte* 7. *n.* 1. *de teſtibus*, quem refert additio ad Panorm. *litt.* C. eam fuiſſe rationem exiſtimat, quia cum in appellationibus ab interlocutoria gravamen culpabile requiratur, oportet cauſam exprimi, ex qua gravamen judici a quo, & ad quem manifeſtetur; non ita in appellatione a definitiva, in qua ſufficit gravamen non apparens, & velatum, quod ex ſola appellatione colligitur, etiamſi cauſa non exprimatur. Alii denique affirmant, rationem in eo conſiſtere, quod judex nequaquam poteſt revocare, aut mutare ſuam ſententiam definitivam, *leg. qualem* 19. *§. dicere, ff. de receptis arbitr. l. quod juſſit* 14. *leg. judex poſteaquam* 55. *ff. de re jud. l. poſt ſententiam, C. de ſent. & interl.* & ideo non oportet in appellatione a tali ſententia cauſam exprimere, cum per eam judex moveri non poſſit, etſi maxime velit illam revocare, vel mutare. At interlocutoriam poteſt revocare, *d. l. quod juſſit, c. ceſſante* 60. *hoc tit. c. ſi a judice, hoc tit. lib.* 6. & ideo ſatis conveniens fuit, ut in illa exprimatur cauſa propter quam fortaſſe judex moveri poſſit ad illam revocandam: quæ rationes addi debent illis, quas in principio hujus textus Panormitanus aſſignat.

19 *Reſpondetur difficultatibus.* Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione expenſa, cui reſpondendum eſt, conceſſa majori, & admiſſa minori, quoad utrumque membrum in appellatione a definitiva interpoſita, de qua textus ibi expenſi loquuntur, negandam tamen eſſe in appellatione interlocutoria. Nec obſtat ſecunda difficultas, pro cujus ſolutione Gloſſa in præſenti, *verbo Si dicat*, aſſerit quod hodie poſt diſpoſitionem noſtri capitis ſola arreptio itineris, vel miſſio nuntii ad judicem ſuperiorem, non habet vim appellationis, nec ſuſpendit juriſdictionem judicis inferioris, itaut ſi propterea quis appellaverit, non erit ejus appellatio admittenda: quod probat *ex l. ejus qui* 4. *ff. de app. recip. c. non ſolent* 30. *§. ejus qui* 2. *q.* 6. Quare ex his verbis affirmat, corrigi diſpoſitionem capitis *meminimus* 9. *c. ad hoc* 30. *c. dilecti* 52. *hoc tit. c. cum cauſam* 22. *de offic. deleg.* ex eiſdem rationibus, quæ exprimuntur in principio noſtri capitis, ſcilicet ne quis ſine cauſa hoc modo declinet examen judicis ordinarii, & ne litigatores vexentur laboribus, & expenſis. Nam ſicut Innocentius III. ſtatuerat *in hoc c.* ne quis ante ſententiam poſſet ex cauſa rationabili provocare, ita ex eiſdem rationibus ſtatuit, ne quis poſſit per miſſionem nuntii proprii judicis juriſdictionem declinare; quia per hanc miſſionem non intelligatur facto, vel verbo ex cauſa rationabili provocatum eſſe, cum cauſa nondum ſit mota, nondum comminata, nec judici aliquo modo inſinuata: unde tali miſſione non obſtante, adhuc licitum eſt adverſario ad judicium provocare, & jus ſuum proſequi coram ordinario, & adverſarium ſuum convenire. Alii aliter exiſtimarunt, aſſerentes hoc verum eſſe ſi modo tantum quis dicat, ſe nuntium miſiſſe, ſed non probet; namque ſi probaret nuntii miſſionem, affirmant adhuc eſſe locum propoſitis juribus, quibus cavetur, quod ſi quis antequam ſciat adverſarium ſuum litteras impetraſſe, nuntium dirigat ad Sedem Apoſtolicam, quia dubium eſt quid ſit impetraturus, expectatur nuntius ejus antequam procedatur, juxta dictum *c. meminimus, c. ad hæc* 30. *c. dilecti* 52. *hoc titulo, c. caput cum cauſa* 22. *de offic. Legati*. Quod ſi nuntium miſit poſtquam ſcivit adverſarium litteras impetraſſe, tunc non valebit, nec ei proderit nuntii miſſio, *juxta c. ſuggeſtum, c. ſuper eo, hoc tit.* ita ex aliorum ſententia refert Innoc. *in præſenti, n.* 2. Sed hoc non admittit idem Innoc. imo non contendit, hodie non valere nuntii miſſionem ſine cauſa, & propoſita procedere, quando quis in propria perſona iter arripit ad Sedem Apoſtolicam, ſub cujus protectione tunc ponitur, *c.* 1. *de cleric. peregr.* Quod privilegium licet olim haberent nuntii, *c.* 52. *hoc tit.* attamen hodie poſt diſpoſitionem noſtri capitis illo non funguntur, niſi ex cauſa probabili mittantur ad ſuperiorem: quod probat Hoſtienſis *n.* 2. Anton. *n.* 6. & 15. Panormit. *n.* 18. Anchar. *n.* 12. *§. quarto opponitur*, Decius *n.* 39. Franc. in *gloſſ.* 4. Præpoſitus *§. ſi dicat*, Henriq. & Vvameſ. *n.* 3. Navarr. *conſil.* 1. *tit. de re jud. n.* 6. cum quibus vide, an quando miſſio nuntii facta ex cauſa rationabili habeat vim appellationis, debeat fieri intra decennium ad appellandum conceſſum, & an neceſſarium ſit ut habeat vim appellationis, quod non poſſit haberi copia judicis inferioris, coram quo appellatur; & an geſta poſt nuntii miſſionem, tanquam attentata revocentur; & an neceſſaria ſit proteſtatio, de qua in *l.* 1. *Cod. ut lit. pend.* ubi Jaſo *n.* 2. Bart. *in l. de pupillo, §. ſi quis ipſe, a n.* 22. *ff. de novi oper. nunc.* & an cauſa appellationis, propter quam nuntius mittitur, debeat exprimi in ſcriptis, juxta novam deciſionem *cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. Vide Gloſſam *ibi, verbo Appellandum*, Domin. *num.* 15. Gloſſ. *verbo Vadat, in c. ab eo* 6. *hoc tit. lib.* 6.

C A P U T L X.

Idem a *in eodem*.

CUM *b* ceſſante cauſa ceſſet effectus, ſtatuimus ut ſive judex ordinarius, ſive delegatus aliquid *c* comminando, vel interloquendo protulerit, quo executionis mandato aliter litigantium gravaretur, & ſano uſus conſilio, ab hujuſmodi interlocutionis, vel comminationis effectu deſtiterit, libere in cauſæ cognitione procedat, non obſtante ſi a tali comminatione, vel interlocutione fuerit appellatum, dummodo non ſit ex alia legitima cauſa ſuſpectus, ne proceſſus negotii frivolis occaſionibus retardetur.

N O T Æ.

1 a IN *eodem.*) *Cap.* 36. ut habetur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. & in ipſo Concilio Lateran. ſub Innoc. III. *cap.* 36.

b *Cum ceſſante.*) Conſonat lex *adigere* 6. *§. quamvis, ff. de jurepatron.* quam regulam poſt Everardum, & Tiraquellum variis ampliationibus, & limitationibus illuſtrant Barboſa *axiom.* 40. Naten. *in juſtit. vulner. titul.* 6. *c.* 8. *fol.* 773.

c *Comminando.*) Quæ comminationes rei judicatæ vim non habent, *c. comminationes*.

COMMENTARIUM.

CUm ſententiam interlocutoriam poſſit judex mutare non ſemel, ſed ſæpe ſæpius, *l. quod juſſit, ff. de re jud. l. dicitur, §. fin. cum ſequenti, ff. de arbit. l. poſt, C. de ſent. & interl. c. a judice, c. fin. hoc tit. in* 6. *c. interpoſitas* 70. *§. ille* 2. *hoc tit. c. ex parte* 23. *de prabend. c. ſacro* 48. *de ſent. excommun. c. ex parte* 23. *de V. S. l.* 2. *tit.* 22. *par.* 3. probavi *in c. ſuper eo* 12. *hoc tit.* illuſtrat Salgado *part.* 1. *de protect. reg. c.* 5. *per tot.* Inde ſequitur, poſse judicem appellatione pendente ab interlocutione revocare ſententiam, ita ut qui appellavit (revocato gravamine) revertatur ad judicem a quo: quod non admittitur in appellatione a definitiva: quam ſententiam judex ipſe corrigere non valet, quia functus eſt officio ſuo, *l. judex*, juxta vulgarem allegationem *ff. de re judic. l. Paulus* 42. *l. cum quærebatur* 62. *ff. eodem tit. l.* 2. *Cod. eodem titul. l.* 1. *Cod. de ſentent. reſcind. leg.* 1. *§. ultim. verſ. Hæc epiſtola, Digeſt. de quæſt. l. Divi* 27. *Digeſt. de pœnis, l.* 3. & 4. *titul.* 22. *part.* 3. Donellus *lib.* 27. *comment. c.* 1. ubi Oſuald. *litter. B.* Petrus Barboſa *in l. ſi debitori* 21. *ex num.* 80. *ff. de judic.* Pichard. *in manuduct.* 2. *part. §.* 3. *ex num.* 27. Valentia *lib.* 2. *illuſtr. tract.* 2. *c.* 6. *in princ.* & 7. *in fine*. Quod non procedit in interlocutoria, quia nulla interlocutio cauſam ſolvit, *l. poſt ſententiam, Cod. de ſentent. & interl.* Sed varii ſunt caſus, in quibus poſt appellationem ab interlocutoria illam non poteſt revocare judex a quo, nec amplius procedere, ideſt aliquid innovare. Quorum primus ſit quando interlocutoria habet vim definitivæ, quia tunc appellatio efficit attentata, ſicut ſi appellaretur a definitiva: item ſi interlocutoria contineat gravamen irreparabile, & quod nullam amplius ſperat ſententiam: ita Rebuffus *in l. quod juſſit, n.* 42. *ff. de re judic.* Ruinus *conſil.* 68. *lib.* 5. *n.* 3. veluti ſi ſententia generaliter de aliquo torquendo dicatur, ſi appelletur, judicis ſuſpenditur juriſdictio: ita Maranta *in ſpeculo*, 3. *par. q.* 2. *n.* 201. Duennas *in regul.* 52. *lim.* 1. *n.* 1. Illud enim gravamen poſtea reparari non poteſt, *l.* 2. *ff. de appellat. recip.* & plura tradit Menochius *de adipiſc. remed.* 4. *q.* 100. *a n.* 866. Secundus caſus, quando judex appellationem ab interlocutoria admiſit: quo caſu in cauſa non poterit procedere: nam judex a ſe abdicare juriſdictionem, & ad ſuperiorem judicem cauſam remittere videtur, argumento textus *in c. cum appellantibus, hoc tit. in* 6. & tradit Pedemont. *deciſ.* 131. *n.* 10. Tertius caſus quando judex (a cujus interlocutoria appellatum eſt) per ſuperiorem inhibetur, ne procedat in cauſa; tunc enim nihil innovare poteſt, & ſi quid innovaverit, attentatorum remedio revocabitur, *d. c. non ſolum* 7. *§. illa vero, hoc tit. in* 6. & ex multis reſolvit Lancellotus *c.* 20. *per tot.* & *c.* 12. *limit.* 1. *n.* 101. Quartus caſus eſt, quando cauſa in appellatione expreſſa probata fuit coram judice ſuperiore, vel ſi prædicta interlocutoria eam contineat iniquitatem, quæ ex juris allegatione detegatur; tunc enim cauſæ probatio non requiritur, ut reſolvit Caſſiodorus *deciſ.* 5. *ſub tit. de ſequeſtr. n.* 2. & 4. in quibus, & in aliis caſibus adductis a Menochio, & aliis Doctoribus ſupra, judex a quo nec revocare, nec innovare poterit.

C A P U T L X I.

Idem a *in eodem*.

CUM *b* ſpeciali ſit prohibitione proviſum, ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, non competenti commonitione præmiſſa, promulgare præſumat: volentes etiam providere, ne forte commonitus fruſtratoriæ recuſationis, vel appellationis objectu, monentis poſſit declinare examen: ſtatuimus, ut ſi allegaverit ſe judicem habere ſuſpectum, coram eodem cauſam juſtæ ſuſpicionis aſſignet, & ipſe cum adverſario, vel ſi forte adverſarium non habeat, eum judicem arbitros communiter eligat: aut ſi communiter conveniri non poſſit abſque malitia, ipſe unum, & ille alium eligat, qui de ſuſpicionis cauſa cognoſcant, & ſi nequiverint in unam concordare ſententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipſis decreverint, robur obtineat *c* firmitatis, ſciatque ſe ad id fideliter exequendum, ex injuncto a nobis in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicii, diſtricto præcepto teneri. Cauſa vero ſuſpicionis legitima coram ipſis intra competentem terminum non probata, juriſdictione judex utatur. At ipſa probata legitime, de recuſatoris aſſenſu perſonæ idoneæ committat negotium recuſatus, vel ſuperiorem tranſmittat, ut in eo procedat ſecundum quod fuerit procedendum.

N O T Æ.

1 a EOdem.) Concilio videlicet Lateran. generali celebrato ſub Innocentio III. *canone* 48. ut habetur in quarta collectione, *ſub hoc tit. de appel. c.* 3.

b *Speciali.*) Relata *in c. ſacro* 48. *de ſent. excomm.* ubi eam illuſtrabimus.

c *Firmitatis.*) Juxta adducta *in c.* 1. *de arbitr.*

COMMENTARIUM.

2 IN hoc textu proponitur praxis obſervanda in cauſis recuſationum, cum videlicet judex ab actore, vel reo ut ſuſpectus recuſatur. Pro cujus expoſitione ſciendum eſt, recuſare judicem nihil aliud eſse, quam cauſas legitimas allegare, propter quas litigator aſſerit judicem de lite cognoſcere, vel in ea ſententiam proferre non debere, *cap. quia ſuſpecti* 3. *quæſt.* 5. *cap. ſuſpicionis, de offic. deleg. l. fin. Cod. de jud.* Quare recuſare idem eſt ac declinare, ſeu rejicere, *l. recuſare* 93. *Dig. de acquir. hæred. l. recuſare* 6. *Dig. ad Trebel.* unde olim in foro Romano ſi judex datus, & ſortitus non placebat alicui ex litigantibus, licebat illi eum recuſare, his verbis: *Hunc nolo*. Plinius *in ſuo Panegyr.* ibi: „ Sors, & urna judicem aſſignat: licet rejicere, licet exclamare, Hunc nolo. „ Vel etiam interpoſito juramento ita: *Hunc ejero*. Marc. Tullius 11. *de Orat.* „ Cum ei (loquitur de Scipione) M. Flaccus multis probris objectis, P. Mutium judicem tuliſſet: Ejero, inquit, iniquus eſt. „ Ait *ejero*, quod interpoſito jurejurando fieret rejectio judicum, ſufficiebatque jurisjurandi religio, nec erat exponenda, vel probanda cauſa ſuſpicionis. Quint. Tullius de petit. Conſulatus: „ Vocem audivimus jurantis, ſe Romæ judicio æquo cum homine Græco certare non poſse. „ Ex Aſconio Pediano probat Valtejas *de jud. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 186. Cum enim amor, & odium ex ſe judicii rectitudinem perturbent, quæ multo magis in judicibus neceſſaria eſt, *cap.* 1. & ibi Gloſ. *verb. Evertat, de re judic. lib.* 6. *Clem.* 1. *§.* 1. *de heret.* merito leges humanæ dictante naturali ratione remedia induxerunt, quibus vitare poſsemus judicia illorum, quos vel propter odium, vel ob amorem cum adverſariis ſuſpectos habemus, *dict. l. apertiſſimi, Cod. de judic. cap. ſecundo* 41. *hoc titul.* ut poſt alios recte conſiderat Cov. *in dict. cap.* 26. ne alias ſequatur abſurdum, quod in judiciis detur acceptio perſonarum, contra regulam *In judiciis* 12. *de R. J. lib.* 6. Dixi, hoc remedium introductum fuiſse ex magna naturali ratione, quia cum recuſatio reſpiciat recuſantis defenſionem, ſaltem hoc reſpectu a jure naturali derivatur, *dict. cap.* 2. quamvis quoad tempus, modum, aliaſque ſolemnitates juris poſitivi ſit, ut de appellatione jam in hoc titulo ſæpius notavi. Illud commune etiam habet recuſatio cum ipſa appellatione, quod ſicut pendente appellatione aliquid innovare non licet, ex adductis ſupra *in cap.* 1. ita nec facta recuſatione, adeo ut geſta ab ipſo poſtquam recuſatus eſt, debeant ante omnia ut attentata revocari. Docet Gloſſa per textum ibi *in cap. judex* 5. *de offic. deleg. lib.* 6. & *in cap. quotiens* 1. 2. *quæſt.* 6. & *in cap. ultim.* 3. *quæſt.* 5. unde veræ recuſationis definitio illa eſt: *Recuſatio eſt judicis ex cauſa odii, vel amoris legitime propoſita declinatio*. Ponitur loco generis declinatio, quæ latius patet, & plures comprehendit declinationes, quæ recuſationes non ſunt, ut eſt declinatio fori, de qua *in l.* 1. *per tot. Cod. ſi a non competenti*: declinatio loci non tuti, *Clem. paſtoralis, §. eſto, de re jud.* Dicitur etiam judicis, ut agnoſcamus recuſationem directe non reſpicere juriſdictionem judicis. Subſequuntur verba illa: *Ex cauſa odii, vel amoris*, quia ex hoc duplici capite oriuntur omnes recuſationum cauſæ. Tandem adjicitur, *Legitime propoſita*, ut comprehendantur omnia, quæ ad perſonam, tempus, modum, & ceteras recuſationis dignitates ſpectant, de quibus infra.

Circa judices, qui recuſari poſsunt, ſciendum eſt, quod delegatus utroque jure, tam civili, quam canonico recuſari poteſt, *dict. cap. ſuſpicionis, de offic. deleg. dict. l. apertiſſimi*: atque hoc axioma extra omnem eſse pugnam teſtatur Gaillus *lib.* 1. *obſ. cap.* 33. quod ad judicem autem ordinarium attinet, idem etiam jure canonico conſtitutum eſt, videlicet ut recuſari poſſit, etiam quoad effectum ipſum removendi prorſus a cognitione, *dict. cap. ſuſpicionis, c. ſi quis contra* 4. *de foro compet.* ubi plura Fermoſinus: atque ita per jus canonicum receſsum fuiſse a jure civili, notavit Duarenus *ad titul. Digeſt. de judic. num.* 4. nam judicem ordinarium attento jure civili recuſari non poſse, ſed tantum ſi aliqua ex cauſa alterutri litigatorum ſit ſuſpectus, adjungendum eſse judicem alium, Epiſcopum videlicet loci, vel alias virum bonum, & diſcretum, vulgo traditum eſt, *ex l. fin. Cod. de juriſd. l. Curiales, Cod. de Decur. lib.* 10. *authent. ſi vero, Cod. de jud.* Sed rectius Vultejus *lib.* 2. *de jud. cap.* 7. *num.* 197. docuit etiam jure civili inſpecto judicem ordinarium recuſari poſse, *ex Novell.* 13. & 53. *cap.* 2. & 86. & *authent. offeratur, Cod. de litis conteſt.* quia quod ordinarius judex non removeatur, ſed alius illi adjungatur, id non impedit, quominus dicatur ipſum recuſare. Aliud enim eſt quærere, an quis judex recuſari poſſit, & aliud, an a cognitione removeri debeat; nam fieri poteſt, ut non removeatur, & tamen recuſetur, ut ita ex hoc, quod quis non removeatur, vitioſe inferatur eum non recuſari; ſiquidem tam is, qui non removetur, recuſari poteſt, quam is qui removetur; atque in hoc quoad recuſationem nulla eſt differentia, ſed tantum ea verſatur circa effectum, quem pro diverſitate materiæ ſubjectæ alium, atque alium producit recuſatio. Proſequitur Vultejus *dict. cap.* 7. *a num.* 200. Etiam univerſitatem, ſeu collegium recuſari poſse, vulgo docetur *ex cap. licet, de foro compet. Clem. paſtoralis, de re judic.* Veluti ſi omnes, aut major pars ſuſpecti ſint, aut Præſes, aliuſve majoris auctoritatis, cui ceteri vix auſint obloqui; Berojas *deciſ.* 269. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 8. *num.* 122. Didacus Perez *in l.* 1. *titul.* 5. *lib.* 3. *ordin.* Oſuald. *lib.* 27. *Donelli cap.* 25. *littera Q.* Zangerus *de except.* 2. *part. cap.* 4. *num.* 8. Cabedo *deciſ.* 64. *part.* 1. Balboa *in capit.* 1. *de judiciis, num.* 21. & ob ſuſpicionem tantum Præſidis poſse Senatum recuſari, docent Giurba *deciſ.* 27. *num.* 2. & omnes judices poſse recuſari, etiam Summum Pontificem, exceptis negotiis fidei, in quibus errare nequit, docent Ripa *in cap.* 1. *de jud. num.* 45. Turriſcrem. *in ſumma Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 38. Jacobat. *de Conciliis lib.* 5. *art.* 8. quod tantum admitterem, ut ex honeſtatis cauſa teneatur Pontifex cauſam alii committere. 3

Ut autem judex recuſetur, cauſa ſuſpicionis proponenda eſt, *cap. cauſam* 17. *cap. cum R.* 35. *de offic. deleg. cap. cauſam* 18. *de judic. cap.* 4. *ut lite non conteſt. l. qui juriſdictioni* 10. *ff. de juriſdict. l. ſi pariter* 9. *Digeſt. de liber. cauſ. l. lex Cornelia* 5. *Digeſt. de injur. l. ult. Cod. de aſſeſſ.* Eam cauſam Speculat. *ſub tit.* 4